

FRANCISCI SAMUELIS KARPE
CAES. REG. PHILOSOPHIAE IN UNIVERSITATE VIENNENSI
PROFESSORIS

INSTITUTIONES
PHILOSOPHIAE
MORALIS.

PARS SECUNDA.

ETHICA PHILOSOPHICA
SEU
DOCTRINA VIRTUTIS.

VIENNÆ
SUMTIBUS CHRIST. FRID. WAPPLER ET BECK.

ПИЛОСОПИЯ
ПИЛОСОПИЯ

ПИЛОСОПИЯ

ПИЛОСОПИЯ

ПИЛОСОПИЯ ПИЛОСОПИЯ

ПИЛОСОПИЯ ПИЛОСОПИЯ

INSTITUTIONUM
PHILOSOPHIÆ MORALIS
PARS SECUNDA.
ETHICA PHILOSOPHICA
S E U
DOCTRINA VIRTUTIS.

СИНИЕ ПИСЬМА
СЛАВЯНОМ ВЪЧЕСОЛІІ
ПАВАСА СЕЧУ
ДІНЧОСЛІІ АОНІРІ
БАР
СЛОВІВ ДІЛІСОД

PROLEGOMENA
AD
ETHICAM RATIONIS
SEU
PHILOSOPHICAM
TAMQUAM
DOCTRINAM VIRTUTIS MORALIS.

1.)

Definitio, partitio et principium Ethicæ strictius acceptæ.

§. I.

Philosophiam practicam primam tamquam Ethicam generalem, seu potius tamquam totius Philosophiae moralis (Ethicæ late acceptæ) fundationem, quæ universæ moralitatis et felicitatis illorum duorum regiminis moralis cardinum naturam explicat, excipere debet Ethica specialis seu Philosophy illa moralis pura, quæ duabus partibus constat, nimirum *Ethicæ rationis seu philosophica stricte sumta*, quæ est doctrina honesti seu virtutis, et *jure rationis seu philosophico*, quod est doctrina justi seu Juris natu-

ra-

ralis. Ethica stricte dicta itaque explicat illam rationi humanæ insitam Nomothesin, quatenus internum et clandestinum in agendi consiliis possum libertatis usum præscribit et regit; Jus vero philosophicum seu doctrina justi interpretatur illam rationis Nomothesin, quatenus voluntatis et arbitrii usum externum spectat, qui etiam sub intuitum et judicium aliorum cadit; quare doctrina philosophica virtutis, non vero juris Philosophiam practicam universalem excipere debet.

§. 2. Ethicæ philosophicæ nomen cum stricte sumitur, illam Philosophiæ moralis partem innuit, quæ docet mores totamque vitam hominis, i. e. ejus sentiendi et agendi modum ad ideam virtutis moralis conformare et emendare; ostendit nimirum solo rationis lumine et magisterio, in quibus agendi consiliis et generibus seu moribus, tamquam internis officiis et virtutibus specialibus, virtus moralis consistat, quibusque præsidiis ejus studium et exercitium alatur et promoveatur; quare *duabus partibus* Ethica rationis, tamquam doctrina virtutis doctrinæ juris contradistincta, continetur nimirum Ethica philosophica strictissime accepta, et Ascetica philosophica; *prior* systema officiorum interiorum et virtutum applicatarum seu morum proponit, quos probus non utilitate sed reverentia legum moralium tamquam rationis et Divinitatis iussorum permotus colit, adeoque virtutem objectivam in illo interiorum officiorum systemate positam explicat, *posterior* voluntatem hominis illo reverentiae sensu imbutam, atque in illud officiorum systema exsequendum continuo intentam, adeoque

adeoque virtutem subjectivam ejusque præsidia et impedimenta contemplatur.

2.)

Ethicæ veræ pretium et a falsa discrimen.

§. 3. Tanto impensius oportet esse studium veritatis cuiusvis exquirendæ et a tenebris atque erroribus liberandæ, quanto perniciosior est ejus ignoratio, aut imperfecta et erronea cognitio. Hujusmodi est legum moralium et officiorum deficiens aut levis, angusta, falsa, dubia, languida cognitio. Quam ob rem bene meruerunt de genere humano recentiores Philosophi, qui ad assequendam et tractandam pleniorem rei tam salubris et necessariæ scientiam omnes ingenii vires contulerunt. Fructus Ethicæ scientificæ, quo vincit vulgarem virtutis seu recte vivendi, paucis sententiis et præceptis haud conjunctis comprehensam, in hoc positus est, quod ea *primo* ignorantiam præceptorum recte (moraliter) fentiendi et agendi, *deinde* errori ea statuendi et applicandi, *denique* languori in iis exsequendis aut occurrat aut medeatetur.

§. 4. Ethica tum illa laxior, tum ista tristis, austera et ultra fas rigidior falsa vivendi præcepta subministrant. Laxa omittit officia, quibus homini in præsens suavia intercipiuntur, commodis contenta externis neglit momenta agendi nobilia et vere moralia, integumenta peccatis præbet, et conscientiæ vulneribus cavillatione scholastica, aut piaculi generibus, quibus animus non mutatur, mederi satagit. Ethica contristans seu ultra fas rigidior negat homi-

ni, quæ concedi salva ejus probitate possunt, inflammat semper dolendi, et minuit ac fere ad nihilum redigit gaudii quærendi studium, proinde ac si omni vitæ suavioris usura abjicienda hoc unum esset virtutis studiosis consecutandum, ut se contra asperum dolendi sensum ipsa doloris et tristitiae perpetuate arment, ut adeoque vitam insipidam utcunque potius trahant, quam ea ex voluntate divina fruantur.

LINEAMENTA SYSTEMATIS
ETHICÆ RATIONIS SEU PHILOSOPHICÆ
TAMQUAM
DOCTRINÆ VIRTUTIS MORALIS.

DOCTRINAE VIRTUTIS MORALIS
PARS PRIOR

De virtute morali objective spectata
seu
De officiorum virtutis systemate,
seu
Ethica strictissime accepta.

PRAEELIMINARIA.

1.)

Propositum Ethicæ strictissime acceptæ.

§. 5. Hoc prima doctrinæ virtutis pars sibi propositum habet, ut *virtutem objective spectatam*, i. e. tamquam Systema omnium virtutis legum et officiorum, adeoque omnes illos, quibus virtutis cultor prædictus esse debet, mores tamquam virtutis partes et fructus in nexu cum suis principiis et communi fundamento exhibeat; quare recte doctrina officiorum virtutis (*Tugendpflichtenlehre*) seu Ethica strictissime accepta appellatur.

2.)

2.)

Officia virtutis tribus generibus continentur.

§. 6. Tot sunt officia, quod sunt actionum genera, adeoque morum species, quæ vel immediate vel mediate illa morum lege præcipiuntur vel vetantur; quare cuncta officia virtutis in certas classes distribui propriisque principiis subjici expedit, ut facilius intelligantur et teneantur. Conveniunt singula et universa in illa morum lege, velut in principio, cuius reverentia exercentur; eorum differentiæ summæ aliæ esse nequeunt, quam illæ, quæ a diversitate objecti moralis, quod respiciunt, dependet; quare triplicis generis sunt omnia virtutis officia, officia erga se, alios et Deum.

3.)

Officia cujusque erga se sunt conditiones omnium ceterorum officiorum.

§. 7. At a quo officiorum genere incipendum est, cum Ethicos diversum in proponendis officiis virtutis ordinem sequi constat? Nisi homo quisque se ipsum, i. e. perfectionem et salutem suam tamquam entis intelligentis, perfectibilis et immortalis pro fine habeat, sentiendoque et agendo sequatur, qua ratione ejus consilia et actiones aliorum saluti et perfectioni promovendæ, atque divinis perfectionibus manifestandis respondere, et inservire poterunt? Quid homo ad commune bonum conferre, qua ratione divina maiestate dignos sensus concipere et fovere poterit, qui vitam et valetudinem non tueatur, ingenium suum non colat, com-

mo-

motionibus animi non imperet, desideria sua in gyrum rationis non redigat, vero honore dignum se non præstet &c. &c.!

CAPUT PRIMUM.

De officiis hominis erga se ipsum.

PROOEMIUM.

Officiorum erga se ipsum notio et principium.

§. 8. Officia hominis erga se ipsum consistunt in illis agendi consiliis et generibus, ad quæ quisque propterea se obligatum esse sentit, quia ea perfectionis et salutis suæ individualis tamquam entis ratione, perfectibilitate et immortalitate prædicti partes et causas esse videt.

§. 9. Principium omnium verorum erga se officiorum *notam et sphæram stabilem* determinans hoc enunciato continetur: *ita sentias et agas, ut tuo sentiendi et agendi modo te excellentiæ nativæ semper memorem et dignum præstes.* Quod principium pars est illius totius doctrinæ virtutis *supremi principii: Legem morum ejusque peculiaria imperata, tamquam propria et inviolabilia agendi consilia ex reverentia, erga rationem et Deum sequere.*

*Moralis sui ipsius aestimii et amoris notio, vi
cujus homo ad triplicem curam obligatur.*

§. 10. Principium illud omnium officiorum erga se, cum in constantem voluntatem et inviolabile propositum abiit, atque in vita adhibetur, constituit moralem hominis existimationem et amorem sui ipsius, i. e. complacentiam ejus in semet ipso, tamquam ente rationabili-ter libero, quod imperatis rationis, tamquam Dei iussis omnes sensualitatis exactiones postponit.

§. 11. Observantia et dilectio sui ipsius moralis postulat, ut homo non singulas suas perfectiones sine ordine consecetur, verum ut totali suæ perfectioni studeat, ut adeoque corporis, animi et status externi sui, tamquam entis moralis curam habeat, sine qua se sapientem, benevolum, et fortem præstare nequit, in quo honestatis seu virtutis summa posita est.

SECTIO PRIMA

De ethica corporis sui cura.

Notio, principium, sphæra et locus hujus curæ.

§. 12. Cura corporis tamquam animæ siationis et organi in iis actionibus posita est, quibus sit, ut corpus sit aptum animæ domicilium et organon, quo illa in virium et finium nobiliorum exercitio et consecratione non impediatur, sed promoveatur. Quare homo corpus suum

suum ita tractare debet, prout id entis rationa-
lis, perfectibilis, et immortalis dignitas et de-
stinatio postulat.

§. 13. Cum anima sine debita corporis sui
constitutione vel nullatenus, vel ægre tantum
perfectioni et culturæ suæ studere possit, intelli-
gitur, cur cura corporis ceteris officiis erga se
in Ethica uti in Pædagogica prämittatur. Cu-
ra hæc *tribus primariis officiis* continetur, in
quibus fundamenta obligationis recte cognos-
cenda sunt, ut inde, quibus modis violentur,
quibusque aliis superioribus officiis refrigantur,
fatis intelligi possit.

I.

Officium conservandi vitam.

§. 14. Ethica rationes, cur vitam conser-
vare obligemur stabilire, deinde modos quibus
hoc officium violatur offendere, denique limi-
tes, quibus vera ejus custodia circumscribitur,
indicare debet.

I.)

Rationes, cur vitam conservare teneamur,
afferuntur.

§. 15. Vita primum est, quod a natura
ejusque auctore accepimus, quo nobis simul
impositum est officium eam conservandi. Dein-
de omne aliud officium vitam velut conditio-
nem supponit, sine qua custodiri nequeat; qua-
re officium vitæ conservandæ non est officium
fundamentale, ut adeoque in collisione aliis qui-
bus.

busdam cedere debeat. Nititur obligatio ad vitæ conservationem proprie vitæ pretio morali; vita terrestris est quasi palæstra honestatis, quasi juventus et pædagogium animæ, in quo ad certum a providentia designatum tempus intellectus et voluntatis suæ culturæ vacare, atque ita pro vita futura mereri possit.

§. 16. Inest in homine vehemens se conservandi et defendendi instinctus nativus; ratio vehementiam hujus instinctus considerans deprehendit sapiens consilium auctoris naturæ prohibere volentis, ne ob quascunque molestias et miseras hominem vitæ tedium capiat. Videt præterea continuationem vitæ, i. e. vinculi, quo anima cum corpore suo conjungitur, esse fundamentum felicitatis præsentis et quasi atrium futuræ, adeoque concludit, ut vita externa et temporalis, quatenus est statio et vestibulum internæ et æternæ studiose conservetur, cum honestatis studio nunquam aduersetur sed opituletur.

II.)

Absoluta Autochiriæ turpitudo ostenditur.

§. 17. Sequitur ex superioribus *Autochiriam*, i. e. voluntariam sui ipsius occisionem esse absolute illicitam. Suscipitur ea nisi ex aperto scelere, certe ex aperto errore, non nisi hoc remedio tolli posse, quod intolerabile videtur. Is error, et ex eo nascens decretum se occidendi, uti est certus animi desperantis, ita et ingenii minus perspicacis index; nam ut tollatur malum præsens, saepe opinatum et plerumque imaginatione exaggeratum, mali majoris

ris et permanentis scilicet post mortem infelicitatis status periculum certum aditum ; sumitur erronee, mala vitae diutius ferre non posse, verum multae acerbitates mutato praeter expectationem rerum statu tolluntur et per consuetudinem leniuntur.

§. 18. Fuerint dura perpetuam et vix tolerabilia, quae hominis vitam sine spe probabili remedii torqueant, quid solatii afferat imperfectio sui ? Non certe hoc, ut post mortem omnis sensus pereat, cum animus humanus sit immortalis, non etiam hoc, ut vitae miseræ succedat jucundior ; etenim an recte proemium speret is, qui naturæ ordinem interrupit, qui æquo animo ea ferre recusavit, quæ Deo volente et permittente ipsi adversa acciderunt, qui tamquam perjurus miles prius de statione decedit, quam vocaverit is, a quo in ea positus est tamquam imperatore ? Rebus in adversis facile est contemnere vitam, fortiter ille facit, qui miser esse potest. Justum et tenacem recti virum etc. Quare non nisi deliri, ignavi et criminum consciæ violentas manus sibi inferunt, nunquam, quæ sola vitae anteponenda est honestas voluntariam mortem exigit; tolerando malo fortitudo, pessimumdanda vita *ignavia* exercetur.

III.)

Limites officii conservandi vitam assignantur.

§. 19. Officium conservandi vitam terrem non est absolutum, sed relativum tantum et conditionatum. Obligamus ad vitae conservationem, quatenus haec est medium ad præstanda officia et obtinenda bona sublimiora ;

qua-

quare cavendum est illud vitium, quod est in anxia nimiaque vitae cura positum, quo, qui tenentur eos molles et effeminatos recte appellamus, quia vitam tamquam summum bonum spectant, eamque etiam illis bonis praeferunt, quorum medium esse debeat, et sine quibus res est vilis et plane turpis. Subeunda sunt etiam vitae pericula salutis publicae causa, neque subterfugienda vitae genera in societate humana necessaria propterea, quod cum vitae periculis sunt conjuncta.

II.

Officium studendi corporis sanitati et vigori.

I.)

Rationes, cur sanitati et vigori corporis studere oporteat, afferuntur.

§. 20. Valetudo seu sanitas corporis posita est in illa ejus partium solidarum et fluidarum conditione, per quam ad nativas suas functiones obeundas aptae sunt; quare bona valetudo est medium vitae conservandae et prolongandae, et conditio, sine qua animus munericibus suis recte vacare, multis officiis defungi, multis bonis frui non possit.

§. 21. Ethica eam corpori constitutionem conciliari et conservari praecepit, quae mentis munericibus et imperio non officiat sed opituleatur, quo certe sanitas, vigor, agilitas et quædam induratio corporis pertinent. Huic vero ethi-

ethico præcepto certe nondum satisfaciunt, qui tantum ex instinctu conservationis, aut ex metu mortis, aut ut sensuum voluptatibus frui possint, valetudinis curam habent.

II.)

Ethica diætæ præcepta explicantur.

§. 22. Diæta est ratio seu mos sanitati conformiter, i. e. secundum regulas sanitatis vivendi, quarum complexus Diæteticam constituit. Cum Ethica sanitatis curam præcipiat, certum est, eam etiam diætæ usum præcipere. Regulae diæteticæ sunt vel medicæ vel ethicæ.

Ethica:

1. Præcipit ut munditiei studeamus, adeoque omnem squallorem in vestitu, habitatione, in victu fugiamus, qui sanitati multis modis officit, ut medici docent, et experientia satis confirmat.

2. Postulat, ut pericula vitæ et sanitatis studiose evitemus, adeoque provide et cum circumspectione vitam degamus; qua in re Ethica non tantum omnem incuriam et temeritatem, sed etiam anxietatem vetat, quæ sanitati sæpe plus quam pericula nocet.

3. Vetat omne intemperantiæ genus; quare moderationem in cibo, potu, in voluptatibus sensuum et commotionibus animi et in labore præcipit, in omnibus his rebus hanc cautionem postulat, ne corporis et animi sanitati obsint, sed prospiciunt.

Officium corpus ad molestiarum et laboris patientiam indurandi et assuefaciendi.

§. 23. Cavendum tamen est illud vitium, quod in anxia nimiaque corporis et vitae cura consistit, quo qui tenentur, eos molles et effeminator dicimus. Necessaria magis res est corpus, quam magna, ait Seneca, et nimis moliter habitum debile potius quam firmum efficitur, suggeritque voluptatis corporeæ studium: paullo durius vero habitum robustum et firmum fit. Itaque a pueris ferendo frigori, calori, siti aliisque rebus tempestive assuefieri debet corpus, quæ, qui sine ægritudine et lamentatione perferre potest, eum patientem et fortem dicimus, fortis etiam corporis voluptates negligit, non tenetur admiratione earum rerum, quæ vulgo maxime desiderantur, uti divitiæ et honores.

§. 24. Deinde etiam in juventute assuefaciendum est corpus laboribus, quæ res pluribus officiis et bonis inservit, uti suo loco ostendetur. Duo vero circa laborem fugienda sunt vitia, primum ut ne utilitatis vel gloriae cupiditate duciti, nimis laboribus nos frangamus, atque somno etiam nos privemus, qui, et si parce, ne ipse nos debilitet, non tamen nimis brevis est capiendus: alterum ne voluptatum venatione a labore nos abstrahi patiamur, et nihil aut prave agendo tempus perdamus, quod, qui faciunt, recte etiam ignavi dicuntur: ex quo non possunt, non multa mala aliorum fœcunda, nimirum mollities corporis, relaxatio nervorum animi, atque paupertas et avaritia existere.

SECTIO SECUNDA

De ethica animi sui cura.

Transitio.

§. 25. Vidimus, quæ agendi consilia et genera Ethica et ratio practica a quovis homine requirat, quatenus is corpore continetur et utitur, unde variarum virtutum, variorumque vitiorum nomina nata sunt, quæ facile intelliguntur. Jam videamus, quæ agendi consilia et genera Ethica et ratio practica ab homine requirant, quatenus is anima constat et excellit, quam reapse etiam illa officia, quibus proxime cura et cultus corporis continetur, propter corporis cum anima conjunctionem, in quo vita posita est, respi- ciunt. Cura culturaque animæ seu hominis interni et sempiterni, quam præcipit, ad nihil aliud pertinere potest, quam ut ejus facultates profinium quibus conlectandis inserviant, ratio ne et ordine excolamus et contineamus.

I.

De cura cultuque animæ universæ.

§. 26. Homo, quatenus anima, adeoque mente cognoscente, animo persentiscente et appetente, atque voluntate libere et pro arbitrio decernente, eligente et exsequente seu operante pollet, obligatur se perficere et excolle re ad varios fines, qui sunt vel necessarii et perpetui, vel fortuiti et caduci. Quare etiam animæ ad illos fines cognoscendos et conlectandos institu-

tio et assuefactio seu cultura et cultus duplex est, vel moralis vel pragmaticus.

I.)

De cultu hominis morali.

§. 27. Est hominis cuiusvis officium, ut suam moralem habilitatem et dignitatem, intentione et extensione consilii et efficientiae suae moralis continuo provehat. Est enim ea hominis nativa praestantia, ut continua capere possit perfectionis incrementa; ex quo sequitur, eum ad continuam in perfectione progressionem reapse obligari. Quod cum in corpus statumque externum non cadat, de ejus morali sentiendi, volendi et agendi modo, adeoque de interna hominis vita et praestantia in actuali cognoscendi, persentisci, appetendi, volendique munere posita intelligendum est. Homo tantum moraliter, i. e. tantum quoad moralem sentiendi et agendi modum, quoad sua libere et pro arbitrio agendi consilia et genera continuo perfectior evadere valet, adeoque etiam obligatur; potest ejus reverentia erga legem moralem hujusque præcepta tamquam divina iussa continuo crescere et efficacior redi, potest ejus sapiens, benevola et fortis sentiendi et agendi ratio semper magis magisque confirmari atque adeo pro situum et occasionum varietate aliis aliisque moribus seu virtutibus probitatem suam manifestare.

II.)

II.)

De cultu hominis pragmatico.

§. 28. Obligatur etiam homo quivis se ad usus vitæ communis perficere et excolere, ut ad fines et bona societatis maxime civilis præstanta et perfruenda idoneus sit, in hoc posita est cultura et solertia pragmatica, in qua maximæ differentiæ occurunt, atque vero etiam necessariæ sunt; nam non omnes homines easdem nativas habilitates habent, nec omnibus eadem opportunitates tempestive se offerunt, aut idem vitæ genus propositum est; quare Ethica hominibus quoad pragmaticam culturam quædam singillatim præcipit:

1. Ut quisque eas sibi cognitiones et dexteritates compareret, sine quibus aliarum usus esse nequit v. g. artem legendi, scribendi, computandi etc.

2. Ut quisque eas cognitiones et artes sibi comparare studeat, ad quas propter nativam habilitatem maxime idoneus, aut propter vitæ genus, ad quod aspirat, aut quo jam implicatus est.

3. Ut quisque ex cognitionibus et artibus non necessariis eas deligat, quarum est cum debit is maxima conjunctio et frequentissimus in vita communi usus.

II.

De cura cultuque animæ speciatim.

I.)

Cultura et disciplina facultatis cognoscitivæ.

§. 29. Cognoscendi facultas tum qua sensualis, tum qua intellectualis est, menti et voluntati moraliter bonæ vel idoneam vel inimicam conditionem assumere potest, unde variorum virtutis et vitii formarum species et nomina existunt; quare cognoscendi facultas culturalis et disciplinam requirit, ut illæ virtutes seu boni habitus nascantur, vitia vero seu pravi habitus arceantur et extirpentur.

§. 30. Hæc facultatis cognoscitivæ cultura et disciplina imprimis rationis curam et cultum postulat, a qua maxime omnis cum moralis tum pragmatica hominis bonitas dependet, cuique reliquæ facultates omnes in connexionum et officiorum cognitione tamquam adjutrices et ministræ adjunctæ sunt. Hæc quid in cogitando verum vel falsum, quid in volendo rectum vel pravum, quid in agendo justum vel injustum, quid in conversando decorum vel indecorum sit, intelligit, hæc quid ex quacunque re naturæ vel arbitrii tamquam ex causa sua futurum sit, prospicere potest.

§. 31. Quare universe indies perficiendus est status distinctæ et solidæ cognitionis et clara sui conscientia, fugienda ignorantia et obscuritas, vitandus error et languor in rebus ad animi honestatem et ad vitæ salutem pertinentibus; singulæ vero facultatis cognoscendi partes in na-

tu-

turali sua subordinatione ita perficiendæ, ut ad fines suos sufficient, nec ulla modum excedat, Nutriendus indies magis intellectus moralibus principiis, acuendum judicium, expolienda ratio indagatrix et rectrix est.

II.)

Cultura et disciplina facultatis persentiscendi et appetendi.

§. 32. Facultates illæ, quibus voluptates et dolores persentiscimus, atque res, quas utilles censemus, expetimus, noxias vero fugimus, non minus menti et efficientiæ moraliter bonæ vel proficuam vel adversam conditio-nem et tendentiam assumere possunt, unde variæ virtutes, variaque vitia existunt; quare etiam cultura et disciplina opus habet, et quidem maxime in juventute cor seu animus hominis, ut illæ virtutes orientur et adolescent, vitia ve-ro illa caveantur et emendentur. Cum sensiones quædam animi honestatis cultui maxime accom-modatæ sint, et irritamentis malorum valde ob-stent, fovendæ continuo et alendæ sunt, cujus-modi sunt *pudor*, *sympathia* et *pulchritudinis* tam naturæ quam artis operum *sensus*; et pudoris quidem maxime ratio habenda est, cum sit firmissimum innocentiae et virtutis pro-pugnaculum. Nam efficit, ut vim stimuli se-xualis non sentiamus, eaque omnia aut ignore-mus, aut fugiamus, quæ sunt inimica pudici-æ, quam non tantum sermones, sed quam maxime quidam libri in periculum constituant.

§. 33. Cum per experientiam constet, ni-hil magis ad præstinguendum rationis lumen et ad.

ad infirmandam voluntatis rectitudinem valere, quam *motus animi*, i. e. sensiones et appetitiones paulo vehementiores, facultates harum genitrices *rationi* in disciplinam et obsequium tradendae sunt, ut non modo earum vehementes manifestationes aut supprimi, ne oriantur, aut ortae temperari, ne dominantur, sed etiam, si ita res fert, præmissa convictione excitari possint, ut iis voluntates segnes tamquam calcibus equi concitari possint. Hoc rationis et voluntatis robur Cicero *temperantiam* vocat, sine qua proba et beata vita esse nequit. Quid enim malignius et miserior esse potest his, qui turbulentius animi motibus et jactationibus frequentius exagitantur, qui semper habent, quod vehementer desiderent, vel metuant, qui, cum inanibus lætitiis non exultant, fastidio sui et pœnitentia torquentur; quid contra beatius illis dici fingique potest, qui nullis pravis cupiditatibus uruntur, qui nullis conscientiae accusationibus anguntur, nullis post inanes lætitias vitae curis et tædiis exeduntur, qui nulla falsa bona venantur, nulla mala perhorrescunt; quare elaborandum est, ut homines a juventute assuescant omni cura et studio in perfectionem et regimen rationis incumbere, cum haec eorum fors sit, ut vel rationem et conscientiam, vel libidinem et concupiscentiam dominam sequantur, adeoque morali vel libertate gaudeant, vel servitute et egoismo, vel crasso vel subtili obnoxii teneantur.

SECTIO TERTIA

De ethica hominis status sui externi cura,

Curæ hujus ambitus.

§. 34. Corporis et animi curæ Ethica curam status hominis externi adjungi jubet, cum perfectio consensu variorum contineatur. Hæc cura vero tria amplectitur, nimirum aliorum de nobis existimationem, res et facultates sensu juridico acceptas, denique occupationem et otium. Inde nascitur triplex officiorum ethicorum et virtutum applicatarum genus.

I.

De officiis ad honoris studium pertinentibus.

§. 35. Homini ingenerata est *honoris* appetitio, qui positus est in aliorum de eo, quod ipsius characteri morali honesti inest, judiciis, siue tacitis siue expressis, quæ vel verbis vel factis declarantur; honori opposita est *ignomonia*, quæ consistit in judiciis hominum de eo, quod alteri turpe inest. Homo obligatur sentiendo et agendo dignitatem entis moralis et membrae societatis humanæ tueri, quo se aliis venerabilem et honorabilem reddit; quare Ethica studium honoris non reprobat sed præcipit. Est itaque officium hominis, ut verum honorem quæ-

quærat, atque veram honoris consequendi viam
ineat.

1. Honor verus est, qui veræ hominis præstantiæ effectus est; nihil verum honorem afferre, præter virtutem, nihil veram ignominiam præter vitium potest, qui propter honestos fines expetitur, a viris probis et intelligentibus proficiuntur, atque cum modestia et humilitate conjunctus est. *Modestus* est, quem propriæ laudes non insolentem, alienæ vero non inquietum et invidum efficiunt; *humilis* vero *sensu bono*, qui laudatus defectum et vitiorum suorum non immemor efficitur, sed iis mederi satagit.

2. Honor falsus vero est, qui neque effectus, neque medium honestorum finium et factorum est, qui tamquam finis absolutus, non vero tamquam probitatis comes et fatelles expetitur, qui exigitur propter prærogativas apparentes, quarumque nulla est cum virtute conjunctio, quique est instar corticis sine nucleo, cuius expetitio est vanitas, denique qui est cum superbia, fastu et arrogantia conjunctus, quæ via iis insunt, qui pretium justo majus sibi tribuunt, qui temere se supra alios efferunt, qui que ita agunt, ut alios vilipendere et despicer recte censeantur.

3. Qui veri honoris studio ducuntur et obsequuntur, præclaram illam Socratis admonitionem teneant, qui hanc unicam et certam ad honorem et gloriam viam esse dicebat, si quis id ageret, ut qualis haberi vellet, talis reapse esset. Nam qui simulatis aut opinatis prærogativis, aut inani præstantiæ et probitatis spicie laudem celeberitatemque captant, rem caducam, vanam et plenam periculi consequantur; nam sublata ina-

inani præstantiæ specie irrisio et contemptus sequitur; quare ad animi tranquillitatem satius est, esse laudabilem sine celebritate, quam esse celebrem sine viribus æstimabilibus et meritis.

II.

De officiis curam rei familiaris attinentibus.

§. 36. Ad rem familiarem pertinent res sensu *juridico* acceptæ, adeoque personis oppositæ, quarum est, vel esse potest dominium; quare ad rem familiarem recte referuntur omnia, quæ ad victimum, amictum reliquasque vitæ terrefris non modo necessitates, sed commoditates etiam et amœnitates pertinent, vel harum rerum pretium repræsentant, uti est pecunia. Cum homines naturali desiderio ad harum rerum adeptionem possessionemque ferantur, quam primum cognoverunt, se earum usu indigere ad vivendum et ad vivendum jucunde, i. e. ad vigorem corporis et animi procurandum et ad potiundum variis voluptatum generibus; quare Ethica vera studium et curam horum bonorum externorum non damnat sed regit. Tria sunt primaria officia, quibus curam horum bonorum adstringit, ut nimirum *fines* ea habendi sint *honesti et nobiles*, ut *conatus* ea sibi comparandi sint *moderati*, denique ut *modi* ea acquirendi non sint *ab honestate alieni*.

i. Fines bona desiderantium et consecutantium sunt honesti et nobiles, si ipsis nativis, adeoque divinis bonorum illorum finibus respondeant, qui sunt, ut ea sint media conser-

va-

vationis, sanitatis, culturæ animi, perceptionis voluptatum licitarum et beneficentiae. Quare qui bona externa, divitias desiderant et consecrantur, ut se temere supra alios efferre, atque labore supersedere possint, rem faciunt ab Ethicæ præceptis plane alienam, non secus ac illi, qui omne bonorum externorum studium simpli-citer damnarent.

2. Studium seu conatus bona externa habendi, et metus ea perdendi moderatus est, cum non omnibus aliis moralibus sensionibus et studiis nobilioribus prædominatur, unde oritur avaritia, luxuria, audacia &c. &c. Avaritia extinguit amorem justitiae et patriæ, excitat invidiam, adducit ad fraudes, ad prodictionem et pervertit civitates. Intemperantia habendi et fruendi oritur ex nimio amore commoditatum et voluptatum corporearum, adeoque hic amor sceleratus est. Temperantia desiderandi, confessandi, possidendi et impendendi bona dicitur parsimonia, frugalitas &c.; cumque fines hominis nobiliores non impedit sed promovet, virtus est, quæ varias partes continet.

3. Modi bona externa acquirendi non tantum statutis civilibus permitti, atque prudentiae regulis consentanei, sed imprimis legibus ethicis conformes esse debent. Labor et industria, quorum auxilio bona externa vel ipsi producunt homines, vel ea in certo vitæ genere, vel civili munere obeundis negotiis eo pertinentibus promerentur, sunt modi ea acquirendi ethice probabiles; sed lusus fortunæ, artesque histrionicas et similes, aut adhuc viliores Ethica improbat.

Illi.

De officiis occupationem et otium concernentibus.

§. 37. Natura ipsa homines a desidia revocat ingenerato instinctu efficacitis seu occupationis. Occupatio, cui bonorum externorum adeptio et mentis, animi ac corporis virium exercitatio et perfectio proposita, dicitur *labor*, statutus in quo ad certi generis labores obligamur, dicitur *vitæ genus* et *tempus*, quo a labore cessamus, *otium* appellatur.

1.)

Cur homines ad laborem et desidiæ fugam obligentur.

§. 38. Homines a Deo concessas animæ vires excolere, ut eas nativis suis finibus accommodate adhibere possint, easque cognitiones et agendi principia comparare et alere tenentur, quæ sunt partes et causæ probæ ac tranquillæ vitæ, quæ effici nequeunt sine labore, qui præterea sanitati prodest, atque aptissimum et honestissimum medium est bona externa sibi comparandi; quæ enim casu et fortuna alicui obveniunt opes et dignitates, cum ignorantia veri sui pretii conjunctæ esse solent, atque plerumque vicia luxuriæ, avaritiæ, superbiæ e. a. parciunt. Denique labor morum integritatem tuerit, cui otium obest, efficitque, ut recreaciones majorem vim habeant ad animum commovendum et confirmandum.

2.)

2.)

Officii ad Laborem ethica circumscrip^{tio}.

§. 39. Officium laborandi est indefinitum seu latum, cum per se nec genus nec gradum tempusque laborum designet. Quare Ethica generali laboris officio specialia quædam præcepta adjungit.

1. Imprimis eos labores quivis diligenter obire tenetur, qui ad ejus vitæ genus et munus speciatim pertinent; ad hos labores se continuo magis magisque idoneum reddere obligatur.

2. Homines excepto morbo et somno semper aliqua ratione utiliter occupati esse possunt; otium enim (Musse) non omnimodam ab omni occupatione cessationem exigit. Quare cum primario cuiusvis hominis labore quædam secundariae et subsecivæ occupationes consistere possunt.

3. Occupationes horarum subsecivarum muneri proprio et labori primario adversæ esse non debent, et in iis tum habilitatis tum finium ratio habenda est, ne occupationes habilitatem superent, fines vero a ratione alieni sint.

4. In recreationum et animi remissionum delectu, et usu Ethica generatim hoc præcipit, ut eæ sint universe licitæ, ut usus earum sit temperatus, ut cum minimo temporis et sumtuum impendiq; conjunctæ, atque ab omni aliorum offensione remotæ sint.

3.)

3.)

De ethico temporis sui usu.

§. 40. Pars vitæ nostræ, qua occupari, quam laboribus impendere possumus, dicitur *tempus nostrum* sensu morali. Occupatio et labor, quem certo tempore peragere oportet dicitur *pensum, negotium*. Homines omne suum tempus optime *impendere* seu *collocare*, i. e. nullam sui temporis partem occupatione, et bonis actionibus vacuam relinquere, omnem se perfectiores reddendi occasionem arripere, denique tempus bene *dispensare*, i. e. omnia pensa et negotia aptis et accommodatis horis peragere obligantur. Tempora et occasionses præterlapsas revocare nullo modo possunt; quantumcunque aucta imposterum virium contentione nullo tempore eosque pervenire poterunt, quo pervenissent, si præteritum tempus recte vel melius collocavissent.

CAPUT SECUNDUM.

De officiis hominis erga alios.

PROOEMIUM.

1.-)

Officiorum erga alios fundamenta notio et genera.

§. 41. *Quoniam* communis est hominum natura, præstantia et origo, *quoniam* omnes mutuo sunt fines in se, nullusque eorum pro re et mero medio aliorum haberi potest, *quoniam* denique nemo sibi soli natus est, verum omnes ita facti sunt, ut alter alterius auxilio egeat, et alter alteri prodesse possit, intelligitur, ea debere esse ipsorum invicem agendi consilia et genera, quibus hoc mutuo sibi contestenur, adeoque eorum *officia reciproca* dari, quæ sunt vel ethica seu interna, imperfecta, vel juridica seu externa, perfecta.

§. 42. Nimirum homines imprimis dignitatem humanam mutuo negative agnoscant, in quo posita est justitia, quæ est constans voluntas illorum bonorum nimirum vitae corporisque incolumitatis, atque libertatis externæ et bonorum externorum five originario five derivativo modo adquisitorum inviolabilitatem observandi, sine qua in terra communi domicilio convivæ esse non possent. Deinde etiam positive eam agnoscant, i. e. aliis quibuscumque honestis modis prodesse studeant, idque tanto impensius faci-

ciant, cum præter communes illas causas etiam quædam propriæ adsunt; in quo positus est amor et benignitas.

2.)

Officiorum erga alios ethicorum principium, fons et genera.

§. 43. Omnium officiorum, quæ hominibus mutuo incumbunt, ethicorum *principium* hac formula, hoc effato continetur: *homines ex reverentia erga naturam humanam ejusque auctorem ita invicem agere debent, ut studia et conatus cujusque pro sua conservatione, perfectione et salute non modo nullatenus se invicem impedian, sed potius quantum physice et honeste fieri potest omni illo respectu sibi invicem opitulentur.*

§. 44. Cujus animus hoc principio velut constanti voluntate, i. e. consilio tenetur et regitur, is *homines ethice æstimare et diligere dicitur*; quare *æstimatione et dilectione aliorum moralis est fons et radix omnium ethicorum officiorum et virtutum erga alios, officiaque erga se sunt mensura horum officiorum.* Officia hominum mutua ethica sunt duplicis generis, *alia* eis, qua naturæ moralis confortibus, *alia*, qua membris carumdem societatum incumbunt.

S E C T I O P R I M A.

De iis, quæ homines sibi invicem, quæ tales ethice debent.

Officiorum humanitatis notio et generis.

§. 45. Quæ homines sibi invicem, quæ tales, i. e. quæ entia, quibus est natura et origo communis, ethice debent, sunt duplicitis generis, cum vel sine omni facto obligatorio, vel posito demum aliquo ejusmodi facto intelliguntur. *Hæc officia* dici possunt *humanitatis* suntque vel absoluta vel hypothetica.

A R T I C U L U S P R I M U S.

De officiis humanitatis ethicis absolutis.

§. 46. Et triplici quidem modo sese aestimatio et dilectio aliorum moralis universe nulla posita conditione exserit, *nimirum* studio aliis gratificandi et beneficiandi, *deinde* cura et custodia honoris alieni, *denique* veracitate et candore. Inde triplex nascitur primarium humanitatis officium, quod nullo posito facto obligatorio locum habet.

I.

Officium gratificationis et beneficentiae.

§. 47. *Studio* aliis gratificandi est voluntatis alacritas, cuique homini etiam ignoto praestan-

stanti grata, quæ honeste sine majori molestia præstari, aut sine mali alicujus metu concedi possunt, et evitandi in ejus præsentia omnia, quæ ei tædium et dolorem levem afferrent. *Comites*, hujus studii omnibus hominibus data occasione gratum se exhibendi sunt comitas, civilitas, animus pacificus et mitis et placabilitas. A natura nos ad aliis gratificandum ferri, inde intelligitur, *quia* nobis inest sensus favoris erga quemvis hominem, orti ex cogitatione, eam, quæ in natura humana inest præstantiam, esse aliis nobiscum communem; deinde *qua* vi sympathiæ efficitur, ut aliorum status maxime gaudium et dolorem contuentes eos celerrime ad nos referamus, ac si nobis accidissent.

§. 48. *Beneficentia* est studium voluntatis constans, alios præsertim haud parvo (nam parva ad gratificationem pertinent) virium, rerum et commodorum dispendio, et opera saepe difficulti et molestia gratis (sine ulla spe lucri vel honoris) adjuvandi. *Beneficentia* complectitur officiositatem, cum vires animi, liberalitatem et benignitatem, cum bona externa in aliorum utilitatem impendimus, denique æquitatem, cum jurium et libertatis nostræ usum in favorem aliorum restringimus. In beneficiis tribuendis hæ cautiones adhibendæ, ne beneficia his tribuamus, qui aut non egent ope aliena, aut nihil faciunt, cur beneficiis digni videantur, aut quos beneficio male usuros esse novimus. Deinde modus in benefaciendo is servandus est, ne effusa sit liberalitas, atque ipsum liberalitatis fontem exauriat et quasi exsiccat.

II.

Officium vitandi omnia, quæ bonæ aliorum existimationi et honori alieno adversa sunt.

§. 49. *Cum* bona fama cuivis necessaria sit tum ad animi tranquillitatem, tum ad gerenda inter homines negotia et obeunda munera, *cum* acerbissimum cuivis et maxime probo homini sit, *cum* compertum habet, se aliorum sinistris judiciis obnoxium esse, *cum* denique bona aliorum de nobis existimatio amorem, favorem et fiduciam ipsorum nobis conciliat, intelligitur, gravissimum esse officiorum, ut aliorum famæ et honori nihil detrahamus, sed ei maxime consulamus. Quamobrem *neque* verbis detrahere de altero, *neque* voluptatem ex eo capere, cum de aliis sinistre judicatur, *neque* aliorum laudibus invidere, *neque* ulla ratione eas imminuere, *multo minus* conviciis et cirmationibus vagis alias proscindere, i. e. vaga et falsa crimina iis imputare licet.

§. 50. Bona hominis fama est bonum, quod ne probissimus et prudentissimus quidem contra clandestinas calumnias satis tutam reddere potest; calumniatores occulti non praesentium, sed absentium famam lacerant, suntque propterea similes iis homicidis, qui in tenebris et a tergo aliorum vitam invadunt. Detrahimus aliorum famæ, *cum* vel ipso sinistra judicia spargimus, vel ab aliis sparsa propagamus, *cum* convicia avida aure excipimus, eave refellere negligimus. Sed uti honori alterius consulendum est, ita etiam cavendum est,

ne

ne cuiusquam superbiam alamus aut ipsum vano fastu tumentem inflemus nimiis vel flicitis ac simulatis laudibus tribuendis, cum per se humilis et abjecti animi sit *adulatio*. Quas autem laudes quis meritus est, has libenter tribuamus, atque in hostie etiam virtutem laudandam putemus.

III.

Officia in sermone, maxime veracitatis et candoris.

§. 51. *Dantur* sermones, gestus aliaque facta, mentem nostram, adeoque veritatem aliis manifestantia, cuius cognitio his necessaria est, ut a prave factis et damnis avocentur; *dantur* falsiloquia, reticentiæ, simulationes et dissimulationes, quæ mutuam inter homines fiduciam et fidem afferunt, diffidentiam vero mutuo illorum commercio adversam excitant et alunt, quare ejusmodi falsiloquia et reticentiæ atque simulationes vetitæ et vitandæ sunt; voluntas et studium constans huic ethico præcepto satisfaciendi constituit *veracitatem* et *candorem* tamquam virtutes applicatas.

§. 52. Summum hoc omnis sermonis est officium, ut nihil loquamur, quod est ab honestate alienum, quod pravis erroribus, artibus et cupiditatibus audientes imbuit; sermo enim medium perfectionis non imperfectionis fons esse debet. Veritas vero non postulat, ut omnia, quorum scientiam tenemus, aliis etiam postulantibus manifestemus. *Taciturnitas* veritati adversa non est; nam et nostra et aliorum per-

fec-

fectio sæpe postulat, ut quædam aliis occultemus. Neque omne omnino falsiloquium est illicitum et mendacium; nam *primo* dantur *falsiloquia*, i. e. locutiones contra mentem, quibus nemo fallitur, cujusmodi occurunt in fabulis et salutationibus usu receptis, *deinde* dantur etiam falsi sermones, quibus fidei et fiduciæ mutuæ et necessariæ imminutio nec intenditur, nec efficitur, cujusmodi sunt, per quos vita innocentis servatur, exploratores falluntur et ægroti spe salutis aluntur.

§. 53. In sermone etiam hoc tenere jubet Ethica, ut ne cujusquam honori famæque temere noceamus, itaque non solum ab omnibus criminibus, calumniis, male dictis, contemptu abstineamus, sed honorifice potius, cum licet, de aliis loquamur, suamque ipsis laudem libenter tribuamus, eorumque vitia tegamus potius quam aperiamus, siquidem sint ejusmodi, ut nullum damnum inde metuendum sit aliis, alterque iis mederi nec obligetur, nec possit.

ARTICULUS ALTER.

De officiis humanitatis conditionatis.

§. 54. Expositis officiis, quæ simpliciter propter communem humanitatem ethice debentur, nunc ea declaranda sunt, quæ etiam propter humanitatem, sed accendentibus propriis causis debentur, et propterea hypothetica dicuntur. Officia hæc humanitatis hypothetica pariter triplicis generis sunt, nimirum erga benefactores,

er-

erga amicos et inimicos, denique in promissiōnibus et pactis.

I.

De officiis erga benefactores.

§. 55. Obligamur ad gratitudinem et vitandam ingratitudinem erga benefactores. *Mens grata* est studium perpetuum beneficia accepta in vitae cursu agnoscendi et aestimandi, atque data occasione benefactori grata et utilia praestandi. *Mens ingrata* tribus rebus cernitur, nimirum in neglecta officiorum recordatione, in oppressa cogitatione pretii beneficiorum, et in omissione gratiae pro iis referendae, denique in tetra malorum pro bonis acceptis repensione, quam *ingratitudinem prægnantem* simplici oppositam dicunt.

§. 56. Ingrati animi vitium turpissimum est, nam sine beneficiis societas et salus humana esse nequit, ingratus studium beneficiandi inter homines imminuit, minimeque aptus est ad societatem, cum in maxima amandi causa amoris sensu destituitur, beneficia enim etiam feræ belluae sentiunt; adsuefaciendus itaque maxime in juventute est animus, ut si quid boni possidemus, ejus auctores (patriam, parentes, magistros) investigemus. Gratitudo nos impellere debet, ut etiam quædam incommoda a benefactore vel propter benefactorem perferramus; sed nunquam nos permovere debet, ut in ejus favorem aliquid illicitum, (inhonestum, injustum) committamus.

II.

II.

De officiis erga amicos et inimicos.

§. 57. *Amicitia* est summus gradus mutuae duorum hominum benevolentiae et fiduciæ, quæ orta est ex majori characteris moralis consensione, vel ex longiori munera, utilitatum et etiam periculorum communione. Vera amicitia non potest esse nisi *bonorum*; inter hos enim solum stabilis mentium et animorum consensus esse potest; quæ inter malos malefaciendi causa coalescunt conjunctiones, non amicitiae sed factiones sunt, quæ non modo aliis sed etiam ipsis sociis noxiæ existunt. Vera amicitia est fida, firma, veri et dicendi et audiendi cupida, adjutrix virtutis, expultrix vitiorum. Sed quoque se mutua amicorum benevolentia, fiducia et familiaritas extendere potest; an pro amico omnia licita sunt, an inter amicos nihil arcani esse potest? Vera amicitia nihil a probitate et prudentia alienum exigit. Turpissime faciunt, qui amicos amant tamquam aliquando usuri, qui lucri causa amicitiam tantum simulant, vel amici vitia laudant, qui amicum in paupertate et miseria deserunt, eumque consilio et opera adjuvare negligunt.

§. 58. Non modo officium est, sed etiam valde interest hominis, ne inimicos quidem improbos a sincera caritate excipere. *Inimicus* est, qui perpetuo alterum odio persequitur, quod vel efficax est, cum inimicus nocendi opportunitates captat, vel inefficax. *Amor inimici* est studium perpetuum, nihil eorum, quæ hominem homini præstare oportet, inimico de-

ne-

negandi, ei non nisi defensionis causa resistendi, et causas odii quamprimum fieri potest tollendi. Odium inimici et vindictæ cupiditas ac expletio est res plena acerbatis et acrimoniæ, amor vero erga inimicum est res magni et fortis animi et plena tranquillitatis. Causa inimicitiae est vel nostra, vel inimici culpa, vel instigatio assentatorum, quare inimicitia tolli potest *vel* benignitate, quæ quamcunque occasionem arripit, inimico gratificandi et inserviendi sine superba, quæ ejus ægrum animum magis exulceret magnitudinis animi affectatione, *vel* liberali culpæ nostræ confessione, *vel* damni reparacione, *vel* denique demonstratione, causam inimicitiae vel errorem, vel rem levem, vel instigationem aliorum esse.

III.

De officiis in promissionibus et pactis.

§. 59. Dantur licitæ *promissiones*, i. e. declarationes voluntatis, quod quis alteri *aliquid præstare*, i. e. ei dare, facere, vel in ejus favorem pati, vel omittere velit. Si ad promissionem unius accedat acceptatio alterius, i. e. ejus voluntatis declaratio, quod rem promissam suam esse velit, ejusmodi promissio acceptata est *pactum*, quare vi pacti licti fit, ut res promittentis facta et acceptata promissione fiat acceptantis.

§. 60. Promissiones et pacta sunt necessaria ad societatem et salutem humanam, quare datur obligatio *ad fidem*, i. e. ad propositum constans servandi promissa et pacta. Fides a vera-

citate et justitia (honestate externa) i. e. ab habitu non loquendi contra mentem, et suum cuique tribuendi, adeoque a morali aliorum aestimatione et dilectione separari nequit. In promissionibus et pactis Ethica homini cuivis haec praecipit:

1. In promittendo omnem inconsiderantiam et levitatem vita, providentiam debitam adhibe, atque conscientiam consule, ut nec te ipsum, nec alios noxiis promissis implices.

2. Pacta valida maxima cum fide serva; nam maxima est pactorum inter homines sanctitas et perfidiæ turpitudo, quæ eo major est, 1) quo major exspectatio per promissionem in aliis excitata est, 2) quo magis ad salutem promissarii et generis humani interest haec pacta servari, 3) quo liberius, consideratus et aperiens ac certius aliquid promissum est.

3. Cave ne ea, quæ tibi ex pacto ab altero debentur vel praestita sunt, in ejus offenditionem vel detrimentum vertas, quo nihil est abominabilius.

SECTIO ALTERA.

De iis, quæ homines sibi invicem, qua
membra ejusdem societatis, ethice
debent.

Generalia.

1.)

Nativa hominum ad societatem destinatio.

§. 61. Omnium officiorum, quæ homini-
bus cunctis debentur, duo sunt quasi capita, ju-
stitia nempe et benevolentia; *justitiae* est, ne
alios lædas, adeoque, quod eis juridice debes,
præstes, *benevolentiae* vero et *amoris* est, ut,
quibuscunque honeste possis modis, iis etiam
prosis et opituleris, idque cuique tanto magis,
quo plures et majores hujus rei causas habeas.
Utriusque officiorum generis necessitas (obligan-
tia) ex eo elucet, quod sine iis vita hominum
terrestris secura et commoda adeoque talis esse
nequeat, quæ ipsorum cultui morali et pragma-
tico sit accommodata, cuius tamen habilitas et
cupiditas omnium hominum animis insita est.
Quare ad societatem non tantum facti sed etiam
obligati sumus, in qua major est jurium mutuo
competentium securitas, qua fit, ut etiam
perfectioni et cultui nostro impense vacare
possimus.

2.)

2.)

*Homines nativæ cujusdam societatis vinculo
tenantur, quæ universalis, nec introductione
civitatum sublata est.*

§. 62. Cum Deus homines in globo terra-
queo, tamquam communi domicilio convivas
esse voluerit, facile intelligitur, eos propterea
nativa, universali et negativa societate conjunc-
tos teneri, quæ in eo posita est, ut homines
tellurem commune domicilium habeant, ut in-
yicem *degentes* alter alterius rei familiari nullo
modo noceant, *sermocinantes* se invicem non
fallant, denique *paciscentes* fidem datam in-
violabiliter servent. Quæ officia cum per civi-
tatum introductionem sublata videri nequeant,
consequitur, illam nativam hominum societa-
tem perdurare. At sine peculiaribus institutis,
non obstante illa societate universalis, tellus non
pacis et tranquillitatis, sed belli et miseriæ
theatrum foret; ad illa instituta societates ho-
minum peculiares, civitates et civitatum ejus-
modi conjunctiones pertinent, quibus justitia,
culturæ progressio continua, et pacis perpetui-
tas conservari possit.

3.)

*Officia ethica omnium societatum positivarum
membris communia.*

§. 63. Ethica, cui societatibus, et maxime
illa domestica et civili, tamquam ad humani-
tatis culturam et salutem maxime necessa-
ria nihil sanctius est, hæc officia hominibus
in-

intuitu societatum quarumcunque positivarum et vitæ generum imponit:

1. Ne quascunque societates temere et inconsiderate ineant, cum vires dotesque certas posilient, et libertatem externam restringant.

2. Ne eas societates ineant, quæ fines occultos persequuntur, quæque officiorum socialibus superiorum custodiam impediunt.

3. Ut in societatibus licite initis fidem datam sanctissime servent, commoda privata communibus postponant, exemplumque probitatis cum sociis tum exteris præbeant.

§. 64. Ethica duarum præcipue societatum nimirum domesticæ, quæ reipublicæ, et generis humani seminarium, et civilis, quæ iustitiæ et culturæ humanæ basis est, officia generalia tradere debet.

ARTICULUS PRIMUS

De officiis ethicis membrorum societatis domesticæ.

§. 65. Societas domestica tribus simplicibus continetur societatibus nimirum conjugali, parentalii et herili.

I.

De ethicis conjugum officiis.

§. 66. Voluntas et fines sapientissimi omnium rerum auctoris ex naturæ institutis et factis eluent; ad ejusmodi instituta etiam duplex hominum sexus, stimulus hominum sexualis et se-

sexus, utriusque stabilis proportio = 18: 19 pertinent. Ex his factis cognoscitur, Deum velle, ut humanum genus propagetur, quod cum evidenter alia ratione fieri nequeat, quam per *conjugium monogamicum*, intelligitur Deum conjugia et quidem tantum monogamica velle, atque rerum sexualium usum tantum in coniugio, et in ordine ad fines conjugii destinatum et concessum esse.

§. 67. Quare Ethica et ratio moralis omnem rerum sexualium usum extra conjugia et contra conjugii finem principem, tamquam turpissimam et pestiferam divini illius ad conservandum et propagandum genus humanum stabiliti ordinis violationem daninat, et quisque probus rei gravitatem considerans summe abominatur, adeoque pudicitiae et castitati impense studet, quæ hoc sibi propositum habent, ut cogitationum et motuum animi nobiliorum vi omnis rerum sexualium cogitatio et concupiscentia supprimatur, ne stimulus sexualis extra conjugium, et contra ejus fines excitetur et incitetur.

§. 68. Ethica conjugium societatem monogamicam, publicam, verissimæ amicitiae exemplum, adeoque perpetuam societatem esse jubet; conjugibus ipsis, velut maximis et verissimis amicis, amorem, obsequium, fidem, moderationem imperat, quæ conjugum virtutes sunt fundamentum omnis boni, quod ex hac societate in ipsos conjuges, in societatem civilem, et in genus humanum redundare debet.

II.

De ethicis parentum et liberorum officiis.

§. 69. Conjugii finis primarius, et effectus ordinarius est procreatio liberorum, quibus suscep-tis conjuges *parentum* nomen, officium et po-testatem suscipiunt, quæ non potest esse alia, quam ut eos, qui ipsorum opera in lucem editi sunt, tamquam entia moralia et societatis civi-lis sobolem current, perficiant, adeoque eduent.

§. 70. Educatio *disciplinam* et *culturam* requirit. Disciplina tempestive et impense ca-vare debet, ne in prima et tenera ætate orian-tur vel præparentur vitia, quæ hominem et civem maxime dehonestant et infelicem red-dunt, v. g. egoismus, desidia, divitiarum ad-miratio, ambitio &c.; quod fit incutiendo men-ti teneræ efficacissimas ignominiosæ et pesti-feræ illorum vitiorum indolis ideas, quæ dein-de celeriter accurvant, atque vitiorum irri-tamenta quæcunque in noctem agant aut certe debilitent. Cultura vero in institutione et exer-citatione posita efficit, ut liberi evadant homi-nes moraliter boni et pragmaticice utiles, adeo-que sorte sua contenti. Disciplinæ vero et doctrinæ vim plane non intelligunt illi, qui dis-ciplinam in severitate, metu et castigationibus maxime ponunt; ea est vera *disciplina*, quæ sensum honesti a natura insitum elicit, atque instituzione tempestiva, et institutis idoneis ju-veniles mentes ad honestatis cognitionem et amorem adducit, quod nemo efficiet, nisi ipse generoso incoctum pectus honesto habeat, neque illud per suam vivendi rationem conti-

nuo spiret. Severitas sola hoc tantum efficit, ut honestum simuletur, pravitas vero dissimuletur, qua re in societate civili nihil nocentius cogitari potest. Doctrinam vero ejusmodi magistrí ita instituunt, ut juvenes divinarum, moralium, aliarumque utilissimarum rerum non veras et firmas ideas, verum voces omni sensu vacuas memoriæ mandent et recitent, quo fit, ut et juvenes et alii in eam opinionem veniant, ab illis intelligi, quæ plane non intelligunt. Inde vero pendet, ut deinceps etiam in fatis perspicua et solida doctrina nihil vere percipiant et teneant, neque in vita ullius menti et animo infideat, quo scientiæ ac honestatis specimina edat.

§. 71. Liberi parentibus, quoniam his vitam alimenta et multa alia bona debent, reverentiam, gratitudinem et obedientiam præfent, nisi forte talia exigant, quæ honestati repugnant; in qua re vero prætextum et pertinaciam fugiant, atque potius rationibus afferendis, ac precibus et modestia eos in partes suas pertrahere satagant. Ut gratos se exhibeant, necesse est, ut *primo* parentum iracundum et morosum animum æquo animo ferant; *deinde* ut pauperibus parentibus succurrant, *denique* ut eos postquam ad honores pervenerunt, suæ ignobilis originis, et parentum humili conditione natorum non pudeat.

III.

De ethicis herorum et potentum, famulorumque ac egenorum officiis.

§. 72. Conjuges et divites non possunt semper soli ea omnia facere, quæ fieri ipsorum interest, itaque alienum auxilium assumunt certa pacta mercede; ii autem homines, qui certa mercede conducuntur, ut in rebus domesticis operam navent, *famuli*, *ancillæque* appellantur: hi autem, qui eos conducunt *heri* et *heræ*. Herus idem paterfamilias, hera materfamilias dicitur, quia ex hero et hera, liberis, famulis, ancillis domus seu familia perfecta constat. Ethica præcipit:

1. Heris et potentibus, *a*) ne superioritate et potestate sua abutantur ad extorquenda a famulis ea, quæ ab honestate, iustitia et æquitate sunt aliena, *b*) ne nimis severe peccata famulorum castigent, *c*) ne prætermittant occasiones famulos et egenos in statu interno et externo perficiendi.

2. Famulis et humili conditione natis acquiescentiam in forte sua, quæ ipsis a divina providentia destinata est, speciatim vero *a*) obedientiam nisi inhonesta exigant, *b*) fidem, i. e. summam diligentiam in præstandis iis, quæ heris suis debent, denique *c*) taciturnitatem, nisi heri res civitati inimicas moliantur.

ARTICULUS ALTER.

De officiis ethicis membrorum societatis civilis.

I.

Officia ethica omnibus civitatis niembris communia.

§. 73. Quæ Ethica omnibus societatum ci-vilium membris præscribit, hæc sunt:

1. Ut sint boni cives; est vero *bonus ci-vis*, qui leges obseruat, qui se perficit, ut ci-vitati prodesse possit, eaque re gaudet, qui vi-tia status publici æquo animo fert, quæ expe-rientia et historia teste sine malo graviori sub-moveri nequeunt; quare bonus civis præsen-tem reipublicæ statum violenter mutari non de-siderat, querellis, quod status rerum non sit ex omni parte perfectus, non tantum non indulget, verum eas sive ex ignorantia, sive ex malitia moveantur, potius sedare studet, offendendo præpondium boni.

2. Ut mereantur pro patria, i. e. pro ci-vitate, cujus membra sunt. *Merita* civis in ci-vitatem sunt bona ab illo huic conciliata, quæ ut procuraret, ab eo exigi non poterat; ejus-modi bona, quo sunt majora et siabiliora, quo plures in iis comparandis difficultates superatæ, quo plures et nobiliores vires adhibitæ sunt, quo minus emolumenti ex iis sperare licuit, eo majora sunt merita civis, eo nobiliora agendi consilia demonstrant.

3. Ut sincero et ingenuo amore prosequantur *patriam suam*, i. e. ut gaudeant vinculo, quod ei adstricti sunt, ut in ejus gloria et salute suum honorem et commodum ponant. Ut civis romanus se extolli putabat, et quantus esset sentiebat, cum rogatus, cuius esset? pronunciavit: *civis romanus sum*, ita sincera mente is patriam suam amat, qui nomine, quod hæc inter nobiles populos sibi peperit, sine superbia et insulsa aliarum nationum despicientia impense gaudet, in eaque se vivere sibi gloriosum arbitratur.

II.

Officia ethica singularum civitatis constituantium partium propria.

§. 74. Membra civitatis seu partes civitatis constituentes sunt tres: Imperans, magistratus tamquam ejus organa, et subditi.

I.)

Ethica Imperantis.

§. 75. Hoc Ethica summis imperantibus et rectoribus civitatum, quæ sunt justitiæ et culturæ humanæ organa et palestræ, velut *radices et cardines* omnium ceterorum officiorum præscribit:

1. Ut verorum imperandi et regendi finium eorumque systematis scientiam, adeoque potestatis suæ vim omnem teneant, quorum summa est, ut justitia, honestas, salusque, quæ illarum comes est, dominetur.

2. Ut curam summam adhibeant in imperii et regiminis ministris, consiliariis ceterisque suæ potestatis organis, ut malos aut ineptos dignoscant et avertant.

3. Ut per omnes suæ vivendi rationis partes tamquam exempla organorum suæ potestatis et civium mores forment, perpetuamque et efficacissimam hoc modo eorum censuram agant.

II.)

Ethica Magistratum.

§. 76. Magistratus sunt personæ et collegia, quibus imperans tamquam intelligentibus organis exercitii certorum jurium majestaticorum utitur. His Ethica præcipit:

1. Ut reverentiæ et observantiæ *legibus justitiæ* et *civilis ordinis* habitæ et præstite *sincerum* et *efficax exemplum* aliis subditis præbeant.

2. Ut *fide diligentiaque maxima* muneribus suis recte cognitis fungantur, a cupiditate *despotas* intra muneris sui circuitum agendi abhorreant, atque ita animos imperantis et subditorum *mutui amoris* vinculo conjunctos teneant.

3. Ut sibi ab omni *partium studio* caveant non tantum illo *aperto*, quod a spe lucri, verum etiam ab illo *clandestino*, quod a præjudiciis et propensionibus dependet.

III.)

Ethica Subditorum.

§. 77. Subditis Ethica hæc præcipit:

1. Ut promptam obedientiam præsentem datis superiorum.

2. Ut fidem maximam adhibeant in exsequendis mandatis, i. e. ut sollicite mentem et vim mandatorum cognoscant eique accommodate hæc impleant.

3. Ut prompte et fideliter tributa, debita aliaque præstanda præstent, magistratusque suos reverenter colant.

CAPUT TERTIUM.

*De officiis hominis erga Deum
seu religionis.*

Transitio.

§. 78. Hactenus de officiis hominis erga se et erga alios, sive ejusdem naturæ tantum, sive etiam ejusdem societatis participes egimus. Supereft, ut jam, quonam satis digno modo ei Deus colendus sit, videamus, in quo posita est religio.

ARTICULUS PRIMUS.

De religione universæ.

I.

Conceptus religionis seu cultus Dei.

§. 79. Religio seu cultus Dei complectitur cognitionem Dei, et hac cognitione velut anima.

matum recte vivendi studium, ut adeoque omnia officia erga Deum in hoc consistant, ut de Deo recte sentiamus et ex his sententiis motiva agendi depromamus.

§. 80. Illi sensus agendique modi, qui a vivida perfectionum Dei, nostræque cum eo necessitudinis cognitione dependent et propterea religiosi dicuntur, pertinent ad partes et causas dignitatis entis ratione et libera voluntate prædicti, per eos nulla in Deo, *ente sibi omnissufficiente et sanctissimo*, sed tantum in homine Deum colente perfectio ponitur; quare *finis officiorum erga Deum non est perfectio in Deo sed tantum in homine ponenda*.

§. 81. Per officia erga Deum non primo excitatur et imperatur fides existentiæ Dei nostræque ab eo dependentiæ, verum illa officia hanc fidem jam supponunt, quam ratio humana partim ex consideratione universi et generis humani, partim ex conscientiæ suæ legislationis moralis, cuius sine Deo et immortalitate animæ humanæ nulla vis esset, concipit.

§. 82. Quamprimum vero fides existentiæ divinæ nostræque cum Deo necessitudinis in mente nostra orta est, nascitur obligatio eam conservandi et perficiendi. In cognitione Dei et in sensibus illi cognitioni, si vivida est, adjunctis, velut agendi elateribus, posita est *religio*, seu *pietas* seu *cultus Dei*, qui est vel *internus* vel *externus*.

II.

Religionis necessitas et irreligionis causæ.

§. 83. Religio *primo* efficit, ut homines virium suarum pretium non ex earum magnitudine, sed ex eo, quod sint divinitus datæ atque ad voluntatem Dei compositæ et adhibitæ, æstiment; *deinde* motus et studia animi rationi obediens detrectantia temperat, dum quidquid etiam occultissime prave agis, Deo teste, judice et vindice agi docet; *præterea* tranquillitatem et solatum menti impertit, dum quidquid nobis adversi accidit, Deo providente nobis accidere et quidquid boni a nobis geritur, Deo probante geri docet, adeoque spem beneficiorum divinorum fovere nos jubet; *potentiores*, qui in hac vita omni imputatione et resistentia sunt superiores, monet, omnem potentiam, omne regnum esse sub potentia et regno graviore nimirum *divino*.

§. 84. *Irreligio vera* est habitus mentis omnem de existentia, providentia et cultu Dei atque animorum immortalitate cogitationem studio supprimentis, atque pro superstitione et ridiculo angusti ingenii fœtu habentis. Tristis est hominis irreligiosi conditio; nam si vera sunt, quæ sentit, quid solatii in rebus adversis, quid fiduciæ in rebus secundis habet, si falsa, quantam sibi hujus vitæ suavitatem auffert, quid post mortem exspectet? Irreligionis causæ sunt, *prava institutio et educatio*, quæ tantum memoriam et corpus curant, *subita* et cum strepitu ac impetu facta crassæ superstitionis *depulsio*,

luce veritatis non simul lente accensa atque sursum sublata, *imbecillitas*, quam alii robur appellant, nihil pro vero certoque habentis, nisi quod sub sensus et imagines cadat, *vitæ male actæ conscientia*, cuius acerbitudinem horribilis vitæ futuræ metus adauget; denique *appetitio honoris inepti*, qua fit, ut cum paucis, qui volunt videri acutiores, *errare malis*, quam cum vulgo, i. e. cum majori hominum parte *sapere*.

ARTICULUS SECUNDUS

De religione interna ejusque partibus.

§. 85. Religiosi sensus immediate imperari nequeunt; sed quamprimum in mente humana justa et viva cognitio de Deo tamquam spiritu perfectissimo, atque mundi hujus auctore et rectore orta est, quamprimum animus humanus per contemplationem magnitudinis et perfectionis hujus universi cognitione summæ Dei potentiae, sapientiae et bonitatis imbutus, et per considerationem ordinis et cursus naturae, in genere humano conspicui, de divino mundi regimine physico et morali convictus est; illico oriuntur sensus religiosi varii, et officium hos religiosos sensus acuendi et alendi. In his cognitionibus iisque adjunctis illis sensibus posita est religio Dei interna, seu cultus Dei internus; præcipui ejusmodi religiosi sensus sunt:

I.

Admiratio, veneratio et adoratio summi numinis.

§. 86. Deus est summe potens; nam cum habeat illis, quas mundo contulit, viribus omnem nostrum captum superantibus infinite maiores, cum extra eum nihil esse possit, quod divinis viribus limites ponere, aut vires divinitus non datas habere possit, Deum infinitarum virium copia pollere necesse. Mens humana infinitam virium divinarum copiam sine ullius imbecillitatis et indigentiae adjunctione cogitans maximam attonita naturae divinae admirationem concipit, sentitque in suo quasi fundo oriri divini numinis venerationem summam, quae adoratio est, cum divinæ majestatis nostræque subjectionis vivida cogitatio accedit. His religiosis sensibus studiose fovendis efficitur, ut non nisi provide et reverenti animo divinum nomen usurpemus, ut animo humili et modesto divinam mundi administrationem dijudicemus, denique ut in locis ejus cultui sacris reverenter et modeste nos geramus.

II.

Amor, reverentia et obedientia erga Deum.

§. 87. Cum cogitamus purissimam Dei benevolentiam partim in ejus tamquam perfectissimæ mentis idea contentam, partim in mundi hujus constitutione et administratione conspicuam nasci-

nascitur necessario summus erga Deum amor, summa erga eum gratitudo. Signa amoris et gratitudinis veræ erga Deum sunt, solicitude nihil faciendi, quod Deo displicet, in quo posita est reverentia et timor filialis, servili illo oppositus et studium leges divinas servandi, et ad earum præscriptum totam mentem et vitam componendi, in quo posita est obedientia erga Deum, sine qua amor Dei nomen inane vel res plane turpis est.

§. 88. Quoniam autem amorem, reverentiam et obsequium erga Deum apud plerosque impedit aut debilitat falsissima illa opinio, leges divinas hominum commodis, libertati et vitae suavitati obesse, nec Deum fatis humanæ felicitati prospexit, eumque donis, orationibus et doloribus sibi ultro inflictis, sine vera animi emendatione et probitate propitium reddi et placari posse, hæ superstitionæ omnem moralitatem excludentes opiniones ab animis avertendæ, aut ex iis institutione evellendæ sunt.

III.

Fiducia erga Deum. Preces.

§. 89. Ex cognitione summæ Dei, suapte natura et vi beatissimi, potentiae, sapientiae et benignitatis maxima erga Deum fiducia atque promptissima in iis, quæ a Deo ordinata sunt acquiescentia, i. e. paratissima eorum approbatio oritur. Fiducia erga Deum est persuasio firma ex optima mundi gubernatione nascens, Deum generi humano et singulis hominibus tantum boni destinasse, quantum salva ejus, sapien-

pientia et iustitia destinari potuit. **Hæc** fiducia itaque excludit illam pigram divini auxilii spem, cum quidam divina providentia confidentes debitum virium suarum et remediorum obviorum usum ad fines suos obtinendos facere negligunt.

§. 90. Ex fiducia erga Deum necessario nascuntur preces, quæ sunt desideria bonorum in potestate nostra non positorum, cum spe ea ope divini concursus impetrandi. Quamquam enim Deus decreverit, ut quædam ex iis, quæ precamur, tamquam vere bona reapse nobis eveniant, alia vero, quæ nos ignari exitus temere petimus tamquam vere mala non eveniant; tamen propterea preces vanæ et a ratione alienæ videri nequeunt, verum rationabiles, utiles et jucundæ sunt, quia decreta quædam Dei sub conditione et lege precum humanarum concepta esse, rationabiliter affirmari potest, et quia cogitationes divinarum perfectionum sensusque reverentiæ, amoris et fiduciæ erga Deum, quibus preces continentur, animum serenum, tranquillum atque officiorum memorem et tenacem efficiunt.

§. 91. An solum fortunæ bona, valetudinem, opes, an vero etiam bona animi, nimirum scientiam, virtutem, sapientiam, prudenteriam a Deo precari licet? Bonam mentem sibi ipse quisque dare, nec Deum appellare debet, ut eum justum, temperantem &c., sed tantum ut eum benevolentem et opulentum præstet, dicit Seneca et Cicero. Sed an studium litterarum et recte faciendi et progressus in eo ita a sola libera voluntate dependet, ut circumstantiae et causæ externæ, quæ non in nostra, verum auctoris et domini naturæ potestate sunt,

nihil ad illud studium gignendum, conservandum, incitandum, restaurandum, impedendum, debilitandum, extinguedum, conferre possint? Orandum est, ut sit mens sana in corpore sano, et hæc ipsa oratio divinæ sapientiæ, bonitatis et sanctitatis contemplatione excitata, mentem in veri et boni studio aliisque laboribus mirifice erigit et adjuvat, atque providam et diligentem efficit.

ARTICULUS TERTIUS

De religione externa et sociali.

I.

Cultus Dei etiam externus, socialis ac publicus esse debet.

§. 92. Essentia et summa religionis et cultus Dei posita est in certis sensibus et sententiis, quas jam exposuimus, quæque necessario oriuntur, quamprimum mens humana justa et vivida divinarum perfectionum cognitione imbuta est. Sed cum vinculi, quo animus cum corpore continetur, ea sit vis, ut animi sensus corporis motibus necessario se manifestent, isque ejusmodi motibus indigeat ad certos sensus concipiendos, animandos et alendos, cultum Dei internum externo indigere facile perspicitur. Est cultus externus complexus rerum sub sensus externos cadentium, quæ sunt signa, effectus et vehicula seu instrumenta cultus Dei interni, positi in solis cogitationibus, sensibus animi, atque voluntatis consiliis et decretis. A cultu exter-

terno itaque differt *pietas* tum *simulata* cum actus externi, qui ad cultum Dei pertinent vel lucri (*hypocrisis*), vel ostentationis (*pharisaismus*) causa peraguntur, tum etiam *mechanica*, cum voces et motus alias cultus Dei interni indices ex mera consuetudine sine omni animi consensu eduntur.

§. 93. Cultus Dei est vel solitarius et privatus singulorum, vel socialis et publicus plurium eodem tempore et loco publico congregatorum. Cognitio animi humani docet et experientia abunde confirmat, socialium et publicorum religionis exercitiorum (*socialis et publicae devotionis*) insignem vim esse ad pietatem et virtutem commovendam et promovendam. In conventibus sacris cognitio de Deo, de fine hominis, de statu ejus morali, institutione, oratione et exemplo producitur, corrigitur, extenditur, vividior efficitur. In conventibus religiosis animus suæ omnimodæ a Deo dependentiæ memor, plenus sensu subjectionis et fiduciæ erga Deum elevatur ad hunc, ut eum adoret, ei gratias agat, eumque pro vere bonis roget. Denique in religiosis cœtibus homines publice confitentur, quod salva omni sua physica et politica inæqualitate sint liberi ejusdem patris nimirum Dei, adeoque eatenus invicem fratres, qua confessione et recordatione nihil efficacius est ad homines mutuae æstimationis et dilectionis vinculo devinciendos.

Ad cultum Dei externum varia instituta pertinent.

§. 94. Cultui Dei externo sociali correlata sunt: ecclesia, templa, dies festi, ceremoniæ, hymni, ministri religionis et ecclesiæ, imagines, figuræ hieroglyphicæ &c. Ecclesia est societas hominum ad Deum eodem modo colendum tendens. Templa sunt loca, et festa sunt dies ad celebrandos religiosos conventus destinati; hæc fini et dignitati rei accommodata esse debent, ne alias vilescant et religioni noceant. Hymni sunt carmina de rebus ad religionem et moralitatem pertinentibus cantu prolatæ, quorum experientia teste magna vis est ad sensus et motus animi excitandos. Ceremoniæ, imagines, figuræ hieroglyphicæ sacræ seu religiosæ sunt signa eorum, quorum in cultu Dei memorares esse debemus, quæ omnia pariter fini suo et dignitati rei cum qua conjunguntur accommodata esse debent, ut nimirum cultum Dei promoveant, non vero impediant et ad contemnum adducant.

§. 95. Ecclesia et cultus Dei publicus requirunt institutionem, directionem et administrationem, adeoque personas, quæ hæc peragant, quæ propterea ministri religionis appellantur. Hi 1) cognitionem veritatum religionis et usum rationis promovere debent ad promovendam virtutem, quæ sine illis esse nequit, 2) incredulitati, superstitioni, irreligioni, immoralitati occurrere et mederi, 3) amplam et solidam mentis et animi humani, cuius directio et

et correctio eis proposita est, cognitionem habere et vitam exemplarem agere debent; 4) præterea ne bilem pro zelo adhibeant, religionisque odio et persecutionis spiritu ducantur, sedulo cavere debent. Qui odio religionis ducitur, is eos, qui in religione ab ipso dissident, tamquam inimicos et hostes considerat et tractat, qui spiritus persecutionis ducitur, religionis errores vi extirpandos esse dicit. Sed natura rei et experientia docet, odio, violentia et persecutione errores religiosos potius confirmari et propagari.

III.

De officiis juramenta, vota et res ratione ac vita expertes attinentibus.

§. 96. Juramentum est asseveratio suæ veritatis in testimoniosis et fidei in promissionibus confirmata per expressam provocationem ad Dei omniscientiam, omnipotentiam et justitiam sub conditione mendacii et perfidiæ. Cum aestimatio et dilectio sui et aliorum moralis et reverentia erga Deum exigere possint, ut alii de veritate nostra quam fieri potest certissimi efficiantur; intelligitur, Ethicam juramenta non modo non simpliciter damnare, verum in illa adjunctione approbare, aut plane præcipere. Cum nulla sit contestationis species, cuius major vis esset ad fidem dictis suis faciendam et ab aliis tribuendam, intelligitur: 1) ejusmodi religiosas contestationes non nisi in gravissimis casibus adhibendas esse, 2) per eas nullam obligationem oriri posse ad illicita seu, ut ajunt ju-

ramentum non posse esse vinculum iniquitatis, denique 3) *pejerationem*, i. e. mendacium juratum et *perjurium*, i. e. perfidiam juratam turpissimas mendacii et perfidiæ species esse.

§. 97. Votum est propositum firmum de præstanta re non inhonesta, quod per declarationem reverentiæ erga Deum confirmatur. Ex quo intelligitur: 1) vota non esse universe illicita, cum studium recte agendi confirmare possint, 2) vota non posse proprio sensu haberi pro promissis Deo factis, cum nullum jus in eum transferre possimus, 3) omnem animi levitatem in faciendis et incuriam in implendis votis recte conceptis esse reverentiæ erga Deum adversam, denique 4) votis non inesse absolutam obligandivm, adeoque a legitimis superioribus solvi, aut ipsa cessare posse; cum optima proposita mutatis circumstantiis bona esse desinant.

§. 98. Cum res inanimatæ et animatæ sed rationis expertes hos fines habeant, ut sint media salutis humanæ, omnis abusus ejusmodi rerum demonstrat animum Dei hominumque haud reverentem, cum opera et dona divina et hominibus utilia parvi pendantur. Maxime dannanda durities in bruta, cum hoc modo varia ratione aliis hominibus noceri possit, atque ab ea facile transitus fiat ad crudelitatem in homines; huic malo in pueris nascenti statim adhibenda est curatio, cum adversus ejus inveterationem difficile sit remedium; homines venationi, vexationi et exagitationi belluarum nimis dediti non belluis, sed sibi et aliis nocent.

DOCTRINÆ VIRTUTIS MORALIS.

PARS POSTERIOR

De virtute morali subjective spectata,

ſeu

De charactere hominis moraliter bono,

ſeu

Ascetica philosophica.

Transitio. Propositum et ambitus Asceticæ philosophicæ.

§. 99. Ethica philosophica seu doctrina virtutis, cum de virtute objective spectata agit, hoc sibi propositum habet, ut omnes leges ethicas et officia virtutis in nexu cum suis propriis principiis et communī fonte consideret atque conexa ratione inde repetat et systematice proponat. Nunc cum de virtute subjective considerata seu de probitate hominis, de charactere ejus moraliter bono, seu de voluntate moraliter bona actura est, hoc sibi propositum habet, ut virtutem tamquam systemā voluntatis consiliorum et habituum coordinatorum et subordinatorum leges ethicas et officia interna custodiendi ab unico habitu et consilio seu proposito, tamquam communi stirpe ductorum proponat et explicet; quare Ascetica philosophica primo ipsam virtutis subjectivæ seu probitatis naturam explicare, deinde in ejus primarias relationes inquirere, denique quæ sint media, quæ præsidia, quod pretium virtutis humanæ docere et declarare debet.

E

CA-

CAPUT PRIMUM.*De virtutis subjectivæ natura.**Ordo Tractandorum.*

§. 100. Virtutis subjectivæ naturam scrutaturus et perspecturus hoc sibi propositum habet, ut illud animi robur et agendi consilium summum cognoscat, quo contineatur et perpetuo augeatur studium voluntatis liberæ officia quæque etiam difficillima ex reverentia erga leges morum implendi; quare virtutis characterem primitivum eruere et stabilire, ejus unitatem ostendere atque comparationem cum vitio ei opposito instituere debet.

ARTICULUS PRIMUS.

Virtutis subjectivæ character primitivus stabilitur et evolvitur.

I.

Quamquam omnes homines virtuti summum preium tribuunt, non tamen omnes eundem et stabilem de ea conceputum tevent.

§. 101. Omnes Ethici, ne illis quidem exceptis, qui omnia animi et voluntatis studia, adeoque etiam studium recti, honesti, justi et de-

decori ab amore sui velut a radice sua repentunt, in hoc convenient, virtutem esse summam voluntatis præstantiam, per virtutem hominem fieri vere venerabilem, atque non tantum felicitate dignum, sed ejusdem etiam, quoad præcipuas ipsius partes participem, cum is se ipso perpetuo contentus pace interna fruatur, atque eo animi habitu potiatur, propter quem aliorum amore et honore dignus est, et per quem sibi facilis bona externa comparare, vel defectum aut jacturam eorum æquo animo ferre potest.

§. 102. At in quonam proprie posita sit vis et essentia virtutis moralis, valde a se invicem recedunt hominum et Ethicorum judicia. Qui in virtute magis ea spectant, quæ pro ejus fructibus habentur, virtutem ita definiunt, ut eam vel pro custodia legum moralium, adeoque pro habitu legibus moralibus conformiter agendi, vel pro voluntate confiante se aliosque perficiendi habeant, vel in gratuita erga alios benevolentia ponant. Quæ omnia cum virtutis moralis efficaciam non penitus exhaustant, atque etiam causas a probitate diversas habere possint, alii in virtute non tam fructus, quam animum seu voluntatem et momentum, a quo illi habitus et fructus profici debent, considerant. Cum vero varia actionum honestarum principia distinguere liceat, mirum non est, si non omnes eidem voluntatis studio vel actionum bonarum principio subjectivo principatum in constituenda virtutis essentia tribuant.

II.

Necessitas et stabilitio veri et per se evidenter de virtute morali conceptus.

§. 103. Qui justum de virtute conceptum animo informatum non habet, in suis de virtute judiciis necessario saepe aberrabit; destituitur enim notione directrice, qua in conatibus pro sua et aliorum virtute regatur, destituitur iusta mensura, qua morale hominum pretium recte dimetiatur. Dantur praeterea inter homines conceptus de virtute *partim* minuti, cum Juristæ et Politici virtutem ponunt in studio conformandi actiones ad eas regulas, quas legislator cuiusvis civitatis de actionibus aut laude cōtione standis, aut vituperio dedecorandis constituit; honestum et turpe non variabile arbitrium sed natura stabilis definit, *partim* immoderati, cum nonnulli plane perfectam omnium voluntatis studiorum et actionum cum legibus moralibus confessionem demum pro virtute morali in homine habent, quæ est potius sanctitas in solum Deum cadens; *partim* ambigui, fallaces aut plane falsi, cum alii cum Aristotele virtutem in mediocritate seu habitu hominis id, quod in quacunque re nimium vel parum est, evitantis, unde illa apophategmata: Virtus in medio uti centrum in circulo consistit. Medium tenuere beati. Medio tuissimus ibis. Est modus in rebus, sunt certi denique fines, quos ultra citraque nequit constere rectum. Infani nomen sapiens habeat æquus iniqui, ultra quam satis est virtutem si petat ipsam. Quare justo et per se evidente vir-

tutis moralis conceptu opus est. Ejusmodi conceptus tales virtutis moralis characterem exhibere debet, ut eo cognito quisque velle debeat et sperare possit virtutis adeptionem, neque quisquam existimare possit, se jam ita probatis participem et tenacem esse, ut porro nulla ejus incrementa capere possit, aut firma- menta requirere debeat.

§. 104. Si dantur sensus ac mores nobiles et honesti, debet quoque dari quædam animi affectio seu voluntatis qualitas, a qua illi suam originem, nobilitatem et honestatem habeant, et ex qua velut rami et frondes frugiferæ ex stipite arboris excrescant. Hæc animi affectio et voluntatis qualitas aliud esse non potest, quam absolutum ac dominans volendi momentum et agendi propositum, legibus moralibus conformiter agendi ex reverentia erga eas leges tamquam divina iussa, quæ nobis per rationem continuo promulgantur. Ex hac nobilissima animi affectione, seu voluntatis consilio et momento efflorescit necessario existimatio et amor sui atque aliorum moralis, et summus erga Deum amor, summa erga eum reverentia, obedientia et fiducia. Hæc affectio constituit internam hominis probitatem, et veram moralem ejus voluntatis bonitatem, adeoque virtutem, cuius adipiscendæ facultate omnes homines potiuntur,

III.

Virtutis moralis triplex facies et aspectus declaratur.

1.)

Virtus tamquam consilium seu propositum semper vigens spectanda.

§. 105 Non sufficit data occasione agnoscere, quid sit rectum, honestum, justum, quid pravum, turpe, nefarium, illudque approbare, hoc damnare, non sufficit sensus nobiles admirari, propter quos vivendi rationem καὶ αὐτὸν probabilem, nulla licet bonorum externorum, et favoris potentium adeptione comitatam, nudam, non honoratam sed ignobilem, immo contentam et calamitosam suspicimus. Quid juvat, de his præstantissimis agendi principiis et generibus recte sentire et magnifice loqui, si mens voluntasque iis sit destituta, adeoque vel ignava sit, vel plane prave velit et agat, et si hoc de ipsis morum magistris valeat? Quare assuefacienda est voluntas, atque ad consilium et propositum semper renascens et vegetum adducenda, ut in agendo cognitionem consensionis actionum cum legibus moralibus velut iussis divinis, vel tamquam unicum, vel certe tamquam prævalens momentum sequatur. Adjuncta est virtuti hoc sensu acceptæ necessario mentis fiducia, et serenitas et animi tranquillitas ac hilaritas suavissima; quare a vero absunt, cum illi, qui probos perpetuae querimoniae et moestitiæ propter sua aliorumque prave facta indul-

dulgere debere contendunt, tum illi, qui negant veræ virtuti convenire studium hominis, idcirco omnem diligentiam in vita cum legibus moralibus conformanda ponentis, ut suavissima recte factorum conscientia exhilaretur.

2.)

Virtus tamquam robur animi seu voluntatis consideranda.

§. 106. Virtus cum sit mens et voluntas continuo connitens ad judicandum et efficiendum rectum et honestum, facile intelligitur, virtutem non esse positam in sola recti intelligentia, neque in actionum quarundam generibus bono, ut dicunt, animo susceptis sed morali ordini adversis, neque in subito impetu ad quædam honesta actuanda et promovenda, ac brevi quadam obstinatione adversus turpium illecebras, sed in constanti et perpetua promptitudine de recto et pravo vere judicandi, et ex hoc judicio invicte agendi, quæcunque propterea adverstitates metuendæ et tolerandæ forrent. Quare virtus moralis est robur mentis et voluntatis acquisitum, et continuo crescens, positum in studio continuo non unum alterumve pravi genus, sed omne vitium evitandi, adeoque internas et externas vitiorum causas et illecebras semper excubantes oppugnandi et retundendi, atque non unius aut alterius tantum recte faciendi generis, sed omnis habitum sibi comparandi. Sine hoc robore et studio nulla confiliorum et actionum efficacia et harmonia esse potest, quibus submotis virtutis moralis idea disperit.

3.)

Virtus tamquam vivendi ratio conemplanda.

§. 107. Ubi virtus, ibi vita sibi semper consentanea, cum quæcunque sit rerum et fortunæ conversio semper tamen idem sit nobile agendi consilium et momentum, neque ullius nisi probi hominis vita semper concors, pravorum semper discors et se ipsam desiruens est. Quem sola egestas ab imitatione luxuriosorum retrahit, an opibus præter exspectationem potitus recti tenax manebit? quem quæstus cupiditas laboris patientem, et opum cupiditas injuriæ purum efficit, an opibus et potentia potitus labores tolerabit, injurias fugiet et peccandi illecebris resistet? an qui plausus, laudes, auctoritatem, admirationem captat, honestum et turpe non ex hominum potius opinione, quam ex morum natura aestimabit?

§. 108. Hæc vitæ proborum æquabilitas haberi nequit pro ambigua illa et facta mediocritate, in qua Aristotelici virtutem humanam ponunt, qui probos ubique medium tenere, i. e. in quaue re quod jusio plus vel minus est, v. g. in pecunia comparanda avaritiam et prodigalitatem vitare docent. Ambitio et honoris veri incuria non propterea vitia sunt, quia iis velut extremis studium veri honoris interpositum sit, quod ut virtus sit non à moderatione, sed a momenti nobilitate, quo studium illud animatur, dependet. Actiones plus justo piæ, honestæ, justæ, decoræ cogitari nequeunt, quarum mediæ vere piæ, honestæ etc., forent. Quare studio recti male consulunt, qui illud ambiguo mediocritatis nomine commendant.

ARTICULUS SECUNDUS.

Virtutis subjectivæ unitas disquiritur et evincitur.

I.

Virtutes applicatæ non sunt nisi unius animi affectionis propagines.

§. 109. Quamquam virtus objective specificata et applicata multiplex est, subjective tamen nimirum, tamquam animi affectio et voluntatis qualitas non nisi unica esse potest, cuius rei perspicientia ipsi virtutis cultui valde prodest.

§. 110. Virtus subjective, i. e. tamquam recte agendi principium in homine est unica, et individua ejus animi liberi affectio, posita in efficaci, h. e. ad agendum sufficiente et semper vigente proposito et studio, id tantum et propere volendi et agendi, quia ex integro bonum est, quia est legibus moralibus præscriptum, quarum legum, adeoque etiam officiorum, cum plura sint genera et species, intelligitur, cur in virtute hoc sensu accepta seu objectiva plures partes et formæ distinguantur, quas virtutes applicatas dicimus, quæ vero nihil sunt aliud, quam unius imi et intimi universæ recte agendi studii propagines et applicationes. Cum itaque speciales quæcunque virtutes velut rami et frondes ejusdem arboris ope communis stipidis et radicis conjunctæ sint, intelligitur, cur nulla specialis virtus cum absoluto alterius defectu vel opposito vitio consistere possit; quare inq-

inanis et plane perniciosus est labor, virtutes speciales excitare volentium, qui non prius eorum *commune germen* posuerunt.

§. 111. Inde etiam est illa falsa persuasio, quasdam virtutes speciales cum absoluto aliarum defectu, vel opposito in eodem pectore, in eadem voluntate consilere posse. *Animus probus* non est similis horto, in quo utiles, inutiles et noxiæ plantæ coexistere possunt, verum arboris æmulus est, cujus multi sunt rami et frontes frugiferæ; quare animus probus non potest esse complexus quarundam virtutum et nonnullorum vitiorum, i. e. non potest ei inesse duplex dominans tendentia nimirum in rectum universæ et in quædam pravi genera. *Virtus* est irrestricta subjectio voluntatis humanae sub leges morales voluntatis divinæ indices; quare ea propensionem in aliquod pravi genus ex voluntate excludit. *Virtus, probitas* complectitur amorem recti universæ, quod non nisi in singulis consiliis et actionibus inesse potest, adeoque cujuscunque pravi generis amorem excludit; virtus se extendit ad omnia officia, nequit itaque cum violatione unius eorum generis consilere.

§. 112. Quare virtus subjectiva unica est, quasi unicus stipes, qui vero in plurimos frugiferos ramos successive excrescat, qui omnes virtutum nimirum applicatarum nomine venire possunt. Cui itaque hoc propositum est, ut alios ad virtutem adducat, eos amore et studio recti in genere imbuat; nam ex hoc tantum amore et studio amor et studium variorum recti generum tum in consilio, tum in actione potitorum, necessario efflorescet.

II.

Virtutes cardinales non sunt nisi unius individuæ virtutis requisita et elemen-
ta, quæ tamen gradus et incremen-
ta admittit.

§. 113. Perpetuum et efficax recte agendi studium nequit esse *sine justa cognitione* subordinationis et coordinationis eorum, quæ recte facta sint et dici possint, in hac cognitione possum est id, quod veteres *prudentiam* dixerunt, nos vero *sapientiam* appellamus, et *sine promptitudine* voluntatis liberæ, illi moralis ordinis cognitioni semper obsequendi, in quo posita est *justitia ethica*. Hanc cognitionem ordinis moralis et alacritatem voluntatis ei obsequendi, nihil tantopere imminuit et impedit, quam vis concupiscentiæ, qua fit, ut quæ ei prosint vel obsint, pro summo bono vel malo habeantur; quare ad virtutem etiam temperantia et fortitudo moralis requiritur, *illa* est promptitudo voluntatis omnes jucunditates sibi abnegandi, quæ ordini illi morali adversæ sunt, *posterior* est promptitudo voluntatis, omnes molestias subeundi et preferendi, quæ salvo illo ordine declinari nequeunt; quare prudentia, justitia, temperantia et fortitudo nihil sunt, *nisi conditiones et elementa* unius individuæ subjectivæ virtutis.

§. 114. Una est igitur virtus et individua animi liberi affectio, quæ tamen gradus et perpetuum incrementum admittit et requirit. In singulari quovis homine est eo major, quo pu-
rior,

rior, fortior, constantior et efficacior est. *Puritas* virtutis consistit in consiliorum et momento-agendi nobilitate. Si motiva concurrant utilitatis, detrimenti, honoris et opprobrii, virtus per ea non tollitur, si non sint unicum aut prævalens agendi momentum. Ceteri virtutis gradus pendent: *a)* a celeriori et crescente recti et pravi distinctione, *b)* ab illius faciliore et ardentiore electione, a firmitate executionis decretorum rectorum, denique *c)* a majori et minori actionum serie, quæ non solum cum legibus morum convenient, sed etiam momentis optimis animantur. Ex virtutis partitionibus vulgo fieri solitis, perperam intellectis, gravissimus quorundam error exortus est, ut putent, posse aliquem virtuti studere, qui unitum aut nonnullis vitiis ex animo evelendis operam det, licet reliquis impense indulgeat, aut qui saltem a multis facinoribus sibi caveat metu pœnæ naturalis vel civilis, sive in commodorum externorum privatione, sive in malis externis infligendis positæ. Virtutis natura nullas, quæ dividi possent, partes continet, cohærent indivulso nexu omnes, neque ejus vere studiosus dici potest, qui vel unam ejus particulam sponte negligit aut violat. Virtus sincerum recti amorem, adeoque non tantum minui ardorem pravi, verum extingui postulat.

III.

Lineamenta imaginis vere probi ad confirmanda hactenus dicta.

§. 115. Nihil magis valet ad confirmanda hactenus dicta, quam viri probi imago amabilis, admirabilis et formidabilis. Ut ex integrō bonus sit, hoc imprimis sibi proponit, ut corporis, animi et status externi perfectionem eo, quo Ethica præscribit modo, sibi comparet; conservat vitam suam etiam in maximis ærumnis, quia nulla vita honesti amorem excludit, studet valetudini sine levitate et sine anxietate animi; ingenium suum veri et boni cognitione imbuit, ut voluntas animi cupiditates cohipeat atque illi cognitioni prompte obsequatur; Deo fidus et confidens, sincera erga alios benevolentia calens, sibi nunquam, aliis facile veniam dat, nunquam eum piget gratis vel etiam cum incommodo et detimento suo recte egisse et aliis profuisse, ejus constantiam nulla frangit formido et jactura, nulla relaxat prosperitatis insolentia, non dehonestat et absorbet ardens bonorum, potentiae et gloriæ aviditas, nihil est, quod non subjiciat aut plane immolet reverentiæ recti, ut voluntatis suæ illud decus tueatur, sine quo animi tranquillitas esse nequit.

§. 116. Pulchra itaque est virtus, nam in ea inest harmonia variorum agendi consiliorum et generum a recti amore provenientium, ex his vita tamquam totum quoddam voluntatis et efficientiæ moraliter bonæ plenum componitur, quod ab animo contemplatoris, nec diu nec valde intento, proinde sine defatigatione clare

clare et magna cum voluptate cognoscitur; hujusmodi harmonia manifesta efficit pulchritudinem, quam moralem appellamus, ab æsthetica distinguendum; placet virtus per se, et insignem sui amorem in spectatoribus excitat. Præter hanc amabilitatem inest ei etiam quædam admirabilitas et vis sui reverentiam spectatoribus injiciens; hæc non demum nascitur ex operoso prospectu præclarorum, quæ proba vita æqualibus et posteris allatura est fructuum, sed ipsa virtutis quasi facies roboris interni index, et divinum quid spirans in mente spectatoris venerationem progignit. Hujus reverentiæ maxime vim confirmat inimicorum angor, qui vel inimicitiam erga virum reverendum ponunt, vel si hoc a se impetrare nequeunt, virtutis veritatem suspicionibus et commentis labefactare conantur; nam qui ipse nunquam nisi avaro et impotenter agere solet, an is quemquam generosa mente agere credet, aut alios credere feret?

ARTICULUS TERTIUS.

Virtutis natura vitii velut ejus contrarii explicatione illustratur.

I.

Vitii natura declaratur.

1.)

Genesia vitiorum voluntatis.

§. 117. Qui actiones ponit, quas legibus moralibus, adeoque officiis contrarias esse scit, vel certe scire potest, legem et officium transgredi, actionem pravam, malam, vitiosam pponere, peccare dicitur. Qui peccat dispositionem ad peccandum contrahit vel auget, idem itaque peccatum repetit, inde nascitur voluntatis propensio et tandem plane consilium ac propositum prave agendi; hoc explicitum vel implicitum consilium et propositum voluntatis prave agendi, legem moralem transgrediendi proprie est *vitiuum*, quo vero atque criminis, sceleris, flagitii nomine etiam peccata majora, i. e. singulares graviorum officiorum transgressiones significantur.

§. 118. Quare moralis debilitas, fragilitas et inconsiderantia, quæ etiam probis adhærere possunt, vitiis illo sensu accenserī nequeunt. Tergiversantur subinde probi officio obsequi, immo officium etiam subinde violent, quin tamen deliberate, sed repentinis tantum animi motibus perturbati officii cognitionem et dijudicationem

ne-

negligant qui tamen ejusmodi diligentiae negligendum velut consilium et morem sequantur.

2.)

Virtus et vitium sunt ex contrariorum genere.

§. 119. Probus quæcunque recti agendi genera utpote legibus moralibus præscripta, adeoque tamquam officia ex reverentia erga leges morales custodit, et tamquam propria consilia exsequitur; vitiis deditus quædam prave agendi genera velut consilia sua persequitur, i. e. quasdam morum leges, quædam officia consilio transgreditur. Virtuti deditus rectum honestumque universe et simpliciter approbat, vitiosus quibusdam pravi generibus ex proposito indulget, adeoque cetera recti genera et rectum universe non simpliciter, sed tantum cum ejus concupiscentiae non obest, probat et sequitur. Probi voluntas rationis imperium et honesti ac decori leges velut duces sequitur, in vitiosis ratio et voluntas sensualiati serviunt.

§. 120. Ex his elucet, virtutem et vitium esse ex rerum contrarie oppositarum genere; quare dantur animi inter probos et vitiosos medii, et virtutis et vitii expertes; virtutis expers tamen sceleris purus, et sceleris purus virtutis adhuc expers esse potest, subinde tamen virtute carere vitium est, cum certa virtus non exercetur, quamquam nec facultas nec occasio defint; et subinde vitio carere virtus est, cum qui in maximis peccandi occasionibus et illecebribus versantur, tamen fortiter sustinent et absident, atque ita peccata vitiaque vitant.

II.

Vitiorum fœcunditas et disparitas
inquiritur.

1.)

*Vitiorum fœcunditas ex ipsorum natura et hi.
storia cognoscitur.*

§. 121. Vitia quæcunque magis minusve fœcunda esse, i. e. quodvis vitium voluntatem ad quædam alia vitia pronam efficere, atque in variis adjunctis serius vel citius alia quædam vitia progignere ex causis et nexu variorum prave agendi generum consequitur. Cum enim vitium quodcunque in eo positum sit, quod voluntas quædam prave agendi genera tamquam bona apparentia in gratiam concupiscentiæ decernat et exsequatur, efficitur, ut concupiscentia alia aliaque pravi genera a voluntate sibi indulgeri et conniveri postulet, præcipue, cum varia pravi genera tamquam fines et media et tamquam causæ et effectus cohæreant. Quo vero fortior evadit concupiscentia seu libido, eo debilior hoc modo efficitur voluntas, quæ non ad hoc comparata est, ut sensualitati serviat, i. e. in ejus favorem bona apparentia confectetur, verum ut se suaque legibus morum attemperet, adeoque moralem ordinem manuteneat.

§. 122. Quæ de vitiorum fœcunditate et contagio dicta sunt, historia singulorum vitiorum confirmat. Qui maligna dominandi cupiditate tenentur nonne invidiæ suspicionibus, inimicitiis indulgent, atque eos, qui servire

lunt, vi, fraude, calumniis opprimunt. Sceleratus habendi amor homines mendaces, fraudulentos, corruptionibus obnoxios, violentos efficit. Voluptati venereæ dediti sæpe perjuri, proditores atque moralitatis et religionis hostes facti sunt; ut adeoque omne vitium alia vitia velut familiam et satellitum sibi adjungat.

2.)

Vitiorum disparitas, magnitudo et mensura.

§. 123. Stoicorum doctrina, qui quævis uti recte ita prave facta paria esse, judicarunt, quod non datur recto rectius et pravo pravius, uti non datur vero verius et falso falsius, cum ipsorum notione perfecti sapientis plane convenit, quæ notio posito quocunque peccato et vitio tollitur. At si etiam verum esset, mores alios aliis non esse magis vel minus consentaneos vel dissentaneos legibus moralibus, non tamen inde sequitur, mores alios aliis non esse nobiliores vel turpiores, aut magis vel minus noxios, adeoque eatenus dispare atque magis vel minus amabiles vel abominabiles. Naturæ constitutione indocti et docti alias aliis virtutes magis amant, et alia vitia aliis magis oderunt, v. g. magnitudinem animi magis, quam corporis munditiem, atque injustitiam, ingratitudinem magis, quam beneficentiae neglectum.

§. 124. Cum non tantum prave agendi confilia sint alia aliis turpiora, verum etiam ex iis profecta prave agendi genera sint alia aliis nocentiora, in quo posita est peccatorum et vitiorum malignitas, intelligitur, etiam vitia et peccata esse eatenus alia aliis majora adeoque di-

disparia. Gradum malignitatis peccati et vitii indagaturus, *primo* officiorum, quæ eo violentur, multitudinem et magnitudinem consideret, *deinde* mentis, consilii et momenti, a quo prave agendi mos profectus, turpitudinem, robur et firmitatem perpendat, *denique* cognitionis et culturæ gradum in vitioso spectet.

III.

Vitiorum voluntatis seu pravorum morum causæ proximæ indagantur.

§. 125. Quum per experientiam constet, multos, quibus in juvenili ætate virtutis præcepta tradita sunt, non tamen mores suos rationis præceptis conformare et certe procedente ætate ac custodibus remotis sæpe pravos motes assumere, quæ sint hujus tam funestæ rei causæ inquirendum est.

i.)

Educatio proprie dicta.

§. 126. Causam primam, qui harum rerum fatis peritus et intelligens est, reponet partim *in argumento*, partim *in modo* illius primæ de moralitate cognitionis et institutionis, qua ingenium in prima ætate ad juvandum virtutis in mente et voluntate ortum et progressum præparatur. Prima illa honesti et justi cognitio et exercitatio, ad quam juvenes erudiuntur et assuefiunt, apud plerosque nisi plane perversa, certe valde manca et imperfecta est. Nam primi magistri illius ætatis plerumque nihil aliud, quam

officiorum et virtutum nomina et schemata
 tenent, et generalibus recte agendi non consiliis
 mentem, sed formulis *memoriam* imbuunt, quin
 facultatem excitent et alant ex communibus
 præceptis de moribus et actionibus singularibus
 recte judicandi. Qua ratione fit, ut species et
 et umbra virtutis vel pro virtute habeantur,
 vel plane vitium tegant, v. g. *hypocrism*, pu-
 tentque juvenes recte se et honeste agere, vera-
 que bona sequi et mala declinare, cum res se
 longe aliter habet. Qui itaque mentem et vo-
 luntatem juvenum recti cognitione et studio im-
 buere cupit, *imprimis* in hoc morum et actio-
 num singularium judicio eos exerceat, vehe-
 menterque caveat, ne de recto et pravo, bono
 et malo ante judicent, quam rei momenta cum
 adjunctis expendent. Sæpe enim, quod in
 se spectatum bonum dici potest, tempore, loco,
 personis aliisque adjunctis fit malum et contra;
 quare vivendi præcepta etiam primario vi et
 metu armanda non sunt, non potest ea amare
 juvenis, ex quibus sequendis fructum nullum
 speret, amarum vero in præsenti sentiat aut
 metuat. Vox imperiosa, vultus minax, dolo-
 res aberrantibus inflicti mentem tenellam ama-
 ritudine implent, quæ ultra rudes annos ma-
 net. Tantum abest, ut vis intempestive et mul-
 tum adhibita corrigat voluntatem, ut potius
 cautiorem, astutiorem, mendacem et subinde
 pervicacem reddat; *deinde* etiam ipsius cogni-
 tionis ad moralitatem pertinentis modi ratio-
 nem habeat. Illa enim cognitio vel viva et ef-
 ficax, vel mortua et iners esse potest; viva au-
 tem et stimulans efficitur cognitio, *primo* si cer-
 ta est, non vaga et dubia, *deinde* si non gene-
 ra-

ralis tantum et abstracta est, verum rei propositæ accommodata et intuitionis æmula efficiatur, *denique* si menti ita familiaris est, ut, cum voluntati agendum est, ea promta et parata adsit.

2.)

Educatio illa, quam etiam publicam dicere licet.

§. 127. Quod si tam manca et imperfecta honesti et virtutis scientia et exercitatione usi juvenes in familiis versentur, quæ erroribus moralibus infectæ et variis vitiis obnoxiae sunt, si deinde ex his in majus illud vitæ theatrum deferuntur, falsissimis sæpe de rebus moralibus notionibus et principiis imbuuntur, vident *simplicem* non eum haberi, qui haud possit, sed eum, qui ob amorem veracitatis et candoris, a probitate inseparabilis nolit alios verbis, vultu et factis decipere; *timidum* haberi non eum, qui ultra modum fugiat aut pertimescat pericula, sed eum, qui non turpissima quæque ausit, ut fines sæpe æque turpes consequatur; *superbum* et *imprudentem* haberi non eum, qui alios, a quibus nihil sperat, nihil timet, despicit, sed eum, qui nolit servire tempori, et more Protei mutare sententias et consilia, ut favores, honores et proventus consequatur; *muneribus idoneos* et *dignos* non illos haberi, qui rerum gerendarum intelligentiam et usum longo studio et labore adepti sunt, verum istos, qui vel propter præjudicia, vel per fraudes potentiorum favore fruuntur. Vident præterea numeros, honores, dignitates, et favorem eorum,

qui

qui potestate potiuntur ante virtutem, scientiam et solertiam aperte poni, alios aliorum interitu se extollere, divites et potentes se omnis generis voluptatibus immergere, et ne nervus harum rerum defit, nefas quocunque committere, religionis cultum in verbis, labiis, manibus et vultu, non vero in corde et vivendi modo insidere. Inspicientes in hunc dominantem sentiendi et agendi morem initio horrescunt; paulatim vero multitudo et auctoritas has vitae regulas sequentium mentem eorum fædo spectaculo assuefacit, sensus indignationis et abominationis plenus, qui ex illo spectaculo nascebatur, incipit fieri debilior; accedunt fabulæ romanenses et scenicæ, in quibus præter alia mores et fata Vitiosorum et Proborum sæpe ita pinguntur, ut illi amabiliores esse et manus animi robur prodere videantur, quam posteriores. Procedente ætate concludunt multi, Ethicam esse figmentum Philosophorum, atque ex ejus præceptis vivere (sapere, sustinere et abstинere?) esse miserrime vivere, et bonis seculi se ipsum fatuo rigore defraudare.

CAPUT SECUNDUM.

De primariis virtutis subjectivæ relationibus.

Argumenti hujus ambitus et gravitas.

§. 128. Primariæ virtutis subjectivæ, cujus natura hactenus examinata est, relationes sunt ejus relatio ad naturam et cultum hominis, deinde ad religionem, denique ad felicitatem et prosperitatem vitæ. Ex quo argumenti hujus magnitudo seu gravitas elucet.

ARTICULUS PRIMUS

De nexu virtutis cum hominis indole et civili ejus cultu.

Status quæstionis figitur.

§. 129. Imprimis inquirendum et constituendum est, quæ sit virtutis cujus naturam in primo capite indagavimus, relatio ad nativam hominis indolem, quæ nunquam penitus expugnari potest, et ad exopolitam ejus per civilem cultum, qui tantum ingenium et mores externos adficit, conditionem; an per illam innatam indolem, et per hunc acquisitum cultum non tantum bene moratus, sed etiam moraliter bonus esse possit?

Quæ sit vis nativæ hominis indolis ad
adeptionem virtutis moralis?

§. 130. Virtus subjectiva cum sit invictum
recti studium, quod viva recti cognitione niti-
tur, non ad nativas sed ad acquisitas hominis
præstantias pertinet. In nullam ex iis dotibus,
quæ hominibus innatæ sunt, cadit ille per se
patens virtutis character. Ponamus hominem
Athenis viventem, qui præstantissima corporis
constitutione, præclarissimis ingenii facultatibus,
atque plane insignibus animi dotibus prædictus
sit, et victu exquisito fruatur, an eo ipso genero-
so incoctum pectus honesto habet, et an ille,
qui sub crasso aere dedit, qui illis corporis,
ingenii et animi dotibus destitutus est, atque duro
victu utitur, an propterea vitiosus est? Attamen
habilitas ad virtutem homini innata esse debet;
secus virtus non magis in ejus voluntatem,
quam omniscientia in ejus intellectum caderet.

§. 131. Homo per rationem et volunta-
tem, et per illam rationis insitam et evidentem
legislationem, quæ voluntatis efficientiam strin-
git, virtutis capax est, i. e. invicti propositi et
perpetui studii cognitioni ejus, quod rectum est,
ex reverentia erga illam rationi insitam legisla-
tionem parendi. Nullum est tantum climatis,
temperamenti, ingenii, et animi naturale vi-
tium, quod virtutem necessario excluderet, om-
nia illa incommoda per diætam et cultum ex-
pugnari, atque virtuti innoxia et proficia redi-
pollunt. Naturalis vero illa sui aliorumque di-
iectio, atque honoris cupiditas virtuti valde

pro-

prodeesse possunt, cum internam hominis perfectionem sibi propositam habeant, ejusque adeptionem promoveant.

II.

Quæ sit vis civilis illius ingenii et morum cultus ad consecutionem virtutis?

§. 132. Quæsitum est, an ille ingenii et vitæ cultus, qui per scientias et artes in civitatibus invaluit, indeque pendens indagandi, dijudicandi, et commode vivendi studium non obstat virtutis adeptioni et studio, cum apud populos et ordines minus excultos plus boni mores valeant, quam apud illos, qui scientiarum et artium fructibus et vitæ commodæ præfidiis abundant? Ingenii ruditas, debilitas, obscuritas, præterea vitæ egestas et mores agrestes virtutis studium num promovent, an non potius multis modis minuunt, quid in ingeniorum cultu indeque pendente meditandi, indagandi et dijudicandi studio, quid in vitæ civilis opulentia, elegantia et commoditatibus per se inest, quod virtutis adeptionem et exercitium impediret? immo habent ingenia bona et recte exculta, ad indagandum et dijudicandum prona, habent vitæ commodæ præfidiis instrucci aliiquid, quo facilius ad virtutem transitus fieri possit.

§. 133. Hæc asserta non refellit, sed confirmat historia culturæ humanæ et gentium moratarum; docet enim apud gentes scientiis et artibus excutas, ubi ingenia cognoscenda et inquirenda veritate alebantur, et

et mores ad vitæ decorem et elegantiam conformabantur, plura occurrere ceteris paribus virtutis specimina, quam apud illas, quæ scientiarum et artium cultu et fructu caruerunt gentes, viros, qui virtutibus exceelluerunt, etiam ingenii, morum et vitæ cultu excelluisse. Fortitudo, justitia et frugalitas, a quibus celebratæ illæ gentes inclaruerunt, nec veram virtutem exhauriunt, nec semper ab hac momenta sua depromunt. Hæc asserta tamen non obsunt, quo minus *candide et intrepide confiteamur*, illud, quod vulgo saepe pro ingeniorum illustratione et morum politione habetur, esse ingeniorum et vitæ luxuriem, scientiis et moribus pestiferam et utrorumque corruptionis causam late patentem.

ARTICULUS SECUNDUS

De virtutis moralis cum religione nexu.

Tractandorum recensio.

§. 134. *Nihil* in animo ad fundandum et animandum recti studium religione potentius et purius, *nihil* illa probitate, quæ religionis fundamento, incitamento et præsidio destituta est, impotentius, *nihil* illo enunciato: religionem varia ratione hominum probitati et saluti obesse, impudentius et malignius.

I.

Religio est magistra, conciliatrix et custos virtutis moralis.

§. 135. Religio complectitur doctrinam et fidem, esse Deum, i. e. mundi Auctorem, Rectorem et Dominum, qui *primo* entibus moralibus per ipsorum rationem leges fert et promulgat, adeoque Legislator est, qui *deinde* entium moralium sentiendi et agendi rationem legibus illis consentaneam aut dissentaneam accuratissime in meritum aut reatum, in præmium aut pœnam imputat, adeoque scrutator cordium et judex est, qui *denique* eum immutabilem ordinem constituit, ut mores honesti tranquillitati et saluti suorum subjectorum profint, turpes vero suppliciorum plenam et miseram vitam efficiant, adeoque legum suarum exsecutor est; quare recte dicitur magistra, conciliatrix et custos virtutis moralis, quæ posita est in invicto studio legibus moralibus ex reverentia erga eas obsequendi.

§. 136. Religio *primo*, cum doctrinam et fidem vivam contineat, Deum legislatoriam suam voluntatem per eam, quæ rationi humanæ infusa est, morum legem manifestasse, atque per immutabilem eorum, quæ libere atque recte vel prave fiunt, relationem ad salutem vel miseriā sanxisse, hoc modo efficit ut iussa rationis et instituta naturæ vim et dignitatem legum divinarum consequantur, qua cognitione et convictione nihil efficacius esse potest ad mentem nostram efficaci reverentia erga leges morales imbuendam, et ad voluntatem nostram flectendam,

dam, ut invicto studio in earum custodiam incumbat, i. e. virtuti studeat.

§. 137. Religio *deinde* cum doctrinam et fidem vivam contineat, Deum invisibilem, omnipræsentem, omniscium et sanctissimum scrutatorem cordium, i. e. quorumcunque etiam occultissimorum agendi consiliorum et generum conscientiæ illecebris permota iis prævaricetur, aut earum reverentiam plane abjiciat. Experiencia docet, hujus cogitationis, si satiis viva et familiaris est, maximam vim esse ad stimulorum sensualitatis vim et dominatum infringendum, hoc modo vero effici, ut ratio moralis imperium exercere, voluntas vero obsequium præstare et invitamentis malorum resistere possit.

§. 138. Religio *denique*, cum doctrinam et fidem vivam contineat de imperii divini æternitate, de animorum humanorum immortalitate, eorumque in vita futura præmiis et poenis efficacissimis, hoc modo *primo* sensualitatis stimulos maxime in rudioribus adhuc animis compescit, eos hoc minus nobili et valde efficaci *pravi* horrore imbuit et a corruptione cohibet, ut deinde magis exulti nobilioribus momentis reverentiae et amoris erga Deum et dignitatem naturæ humanæ *pravum* detestentur et fugiant; *deinde* ut officia etiam illa acerba alacriter custodiamus, quæ bonorum extenorum, libertatis, immo vitæ jacturam bonorum superiorum causa postulant. Quod si nullum daretur divinum imperium, aut ultra terminos hujus vitæ non pertineret, si adeoque nulla daretur vita fu-

futura, aut ejus fata non essent summe exoptanda aut extimescenda, nihil omnino esset, quod hominem permovere posset ad eam jacturam admittendam et fortiter ferendam. Religio acerba illa jacturæ officia cum dulci salutis suæ promovendæ officio et studio conciliat, quia docet, jacturam vel inopiam illam in vita futura nobili modo compensatum iri.

II.

Permanens recti studium non nisi in animo vera religione imbuto inesse potest.

Continuatio.

§. 139. Religio bonorum caducorum curam temperat et corrigit, atque malorum inevitabilium patientiam, et sustinendi et abstinenti voluntatem sustentat, superstitionum expultrix, et vitiorum frenum est. In fortuna secunda temperantiam et humilitatem atque rectum bonorum usum exigit, sine quo non sunt media sed impedimenta salutis. In fortuna adversa sola religio est vera consolatrix, in acerbissimis ærumnis et jacturis animum probi erigit, cum doceat, miserias a providentia divina eo dirigi, ut virtus exerceatur, conservetur et confirmetur.

Afferti probatio.

§. 140. Sola itaque religio mentem animumque ejusmodi convictionibus et motivis replet, quibus perpetuum et inconcussum recti stu-

studium fundatum esse potest. Unde enim deficiente religione *vera et efficax* erga rationis iussa *reverentia*, unde firmum propositum et semper sufficiens motivum ea sequendi oriatur et petatur?

1. *A convictione, prosperitatem probitatis comitem esse?* At prosperitas frequentius eas hominum præstantias, quarum nulla est cum probitate conjunctio, quam virtutem comitatur, atque vero sæpiissime etiam vitiorum comes est; probos vero sæpe ærumnosos certe parum fortunatos esse quis nescit.

2. *A convictione, recti studio nos amabiles et honorabiles, adeoque aliorum favoris et fiduciæ participes fieri, quarum rerum maxima vis est ad vitæ prosperitatem conciliandam?* At recti studium in sensus non cadit, et sæpe nos aliis maxime potentibus invisos reddit, immo sunt aliae præstantiæ, cum recti studio minime conjunctæ, quæ multo certius nobis favorem aliorum afferant quam probitas.

3. *A virtutis pulchritudine et sublimitate, cuius magna est in animum vis, cum eam etiam in inimicis et hostibus admiremur et laudemus?* At quantum jam progressum in virtute eum fecisse necesse est, qui pulchritudinis et sublimitatis ejus, quæ virtuti ineſt, vi, molestiarum, quæ virtutem sæpe comitantur et illecebrarum, quæ ad vitia trahunt, vim frangat, et an hæc sine religione intelligi possunt?

III.

An religio vitiorum mater, aut certe eorum tantum frenum sit?

§. 141. Alii per religionem homines plane pravos, alii per eam homines tantum moratos minime vero moraliter bonos metu pœnarum et spe mercedis effici contendunt, quibus assertis nihil malignius et impudentius cogitari posse, jam ex hactenus dictis satis intelligitur.

§. 142. Religio vera nihil boni auffert, nunquam nocet, prodest omnibus omni tempore; præbet momentum potentissimum ea fugiendi, quæ natura sua turpia sunt, et noxia futura erunt, etiamsi præscindatur a voluntate Dei turpia et noxia vetantis, i. e. sibi, qui hominum generi optime consulit, displicere per rationem et revelationem significantis. Mala quæ *religioni* imputant impii maxime *christianæ*, ab ignorantia, superstitione, fanaticismo, dominandi cupiditate et avaritia profecta sunt, quæ religio *nominatim* omnia damnat. Medetur vera religio inimicitiis, intolerantiae et persecutionibus, quin animum erga errores et vitia indifferentem efficiat, neminem a laboribus communiter utilibus eximit, damnat inobedientiam et resistentiam adversus imperium civile et ejus organa, neque impunitatis spem facit vitiosis nisi sub conditione emendationis et conversionis animi.

§. 143. Quare vera religio non tantum frenum adversus voluntatis vitia, verum probæ vitae magistra et dux est. Prohibens injurias non tantum securitatem et pacem externam sufficientat, verum *sanctitatem ordinis et imperii* ci-

civilis agnoscens et inculcans, atque in iis, quæ ab hominibus geruntur voluntatis consilia maxime spectans et voluntatis moralem bonitatem exigens, etiam multo firmius securitatis et obedientiæ civilis fundamentum sublernit.

ARTICULUS TERTIUS

De nexu virtutis cum felicitate humana.

Quæstionis difficultas indicatur, et felicitatis et prosperitatis discrimen figitur.

§. 144. Prosperitas passim pro felicitate habetur, atque illud: bonis male et malis bene esse, jam pæne in proverbio est. Confundunt in re felicitatis homines plerumque apparentiam cum re, atque propter hoc præjudicium ignorant immo negant, *non fortunatum*, i. e. egenum, humili sorte et conditione natum, et constitutum, et plane ærumnosum tamen felicem, *conspectori vero sorte natum et conditione positum*, i. e. potentem, divitem in summis honoribus et lætitiis miserum tamen esse posse. Epictetus quamquam erat pauper, corpore deformis, servus, tamen sui semper similis et hilaris, præceptique sui tenax *fortiter sustinendas esse res adversas, et sapienter abstinendum rebus præter fas jucundis*, majores habuit lætandi causas, quam Xerxes, qui consumta omnium voluptatum vi *præmium proposuit ei*, qui novum voluptatis genus reperiret. Qui perpenso morali suo statu causas habet, cur eo acquiescat, curque magnopere gaudeat et bene speret, cuiusmodi certe tantum virtutis cultor esse potest,

test, *felix*, est. Qui statu suo morali discussio causas vehementer dolendi, et plane male sperandi et desperandi deprehendit, *miser* est, cuiusmodi certe etiam *is esse* potest, qui bonis externis affluit, si nimirum vitiosus est. Bonorum fortunæ affluentia prosperitas est, adeoque pessime cum felicitate confunditur.

I.

Probus nemo miser. Nemo malus felix.

§. 145. *Virtus non modo non efficit, verum penitus removet dolores internos in ignominia interna, in sui fastidio et contemtu, in conscientiæ cruciatibus, in perpessione et anxiis suppliciorum exspectationibus positos, qui vitiosum licet prospera fortuna patientem miserum efficiunt, verum ipsos dolores externos ab ærumnis pendentes valde lenit, quorum dolorum morsus in improbis vitiorum conscientia auget.* Cum fortuna pertinax consiliis et votis optimis viri probi obstrepit, dolet ille, sed explicata fronte dolet, penuriæ et despicientiæ acerbitates minuit placida illa pax, quæ ejus animo inest, et dulcis ille roboris sensus, quo facile caret, quæ non sunt concessa, aut honeste sibi comparare non licet. Habet probus in se ipso causas lætandi nulli casui obnoxias, ejus voluptates non sunt impetuosæ et invicem pugnantæ, quæ semina dolorum contineant, sed teneræ et harmonicæ, et aliarum voluptatum fœcundæ.

§. 146. Longe alia est vitiosorum conditio; in horum vita diffusa sunt omnia, captant, sed simul sibi eripiunt voluptates, quibus solus vitae rectae concentus animum permulcere potest. Non in commodum, sed perniciem utuntur bonis, quae naturae et fortunae beneficio acceperunt, atque ita fit, ut illis tam desint, quae habent, quam quae non habent. Mala, quae per prave facta contraxerunt, quamdiu sentiunt, se ipsos accusant, nec tamen fiunt fani, licet se ad frugem reddituros profiteantur, cum acerba patiuntur; remediis mali praesentis, quo urgenter, repertis ejusque sensu utcumque sublato redeunt ad ingenium, pravitatibus novis se implicare coguntur, ut vitia sua et prave facta occultent. Sunt tumidi, cum se ad peccandum accingunt, et timidi posteaquam peccarunt; omni conatu opprimere satagunt, instinctum naturalem intra se descendendi et vitae suae postscenia prospiciendi; se ipsos fugiunt, quia surdum illud verbum internum conscientiae perhorrescunt; moriuntur vel animo pertinaciter obstinato, vel terribiliter desperabundo. Ergo probus nemo miser, nemo malus felix.

II.

Virtus an etiam prosperitati singulorum hominum et civitatum opituletur?

§. 147. Virtus etiam statum hominum et civium externum perficit, adeoque eorum et civitatum, quae probis civibus abundant, prosperitati opitulatur, certe nullo modo adversatur. Nam virtus primo cum efficiat, ut rectum

facultatum nostrarum usum faciamus, adeoque sensus, phantasiam, motus animi regamus et moderemur, sanitatem et vigorem corporis et mentis conservat, qua nihil exoptatius est in homine et cive ad officia sua recte obeunda; *deinde* bonam famam etiam mirifice promovet. Virtutis amans suo, quem ipsius actiones et vultus loquuntur, candore et fidelitate benevolentiam et bonam aliorum existimationem certius, quam improbus simulatione, fraude et vafricie consequitur; *porro* virtus pacem et securitatem externam conservat. Modello, patientia et incuria quadam laudabili etiam inimicorum impetus frangit generosus viri boni candor, quo sine alicujus metu, quae honesta sunt, quae officium exigit, exsequitur, timetur ab ipsis improbis, et aliorum fidum commercium, pacem et amorem sibi conciliat; *denique* etiam bona fortunæ et familiarum promovet, quia virtuti dediti temperanter vivunt, laboribus impigre vacant, reverentiam et obedientiam superioribus exhibent, atque æquales amore et benevolentia prosequuntur.

§. 148. Vehementer itaque et perniciose errant, qui vitia civium plus, quam eorum virtutem ad civitatum florem conferre effutunt. Ejusmodi Politici et florentem civitatum conditionem falso concipiunt, et vitiorum effectus utiles perperam dijudicant. In quonam ponendum verus civitatum flos, in splendore vitæ et opum accumulatione nonnullorum, in expedito pecuniæ inter cives circuitu, in civium numero, in copiis terrestribus et maritimis, in vicinorum metu? Auge opes cujuscunque generis, sed deme probitatem potentiorum et infe-

riorum, num felices erunt cives, felix Imperans, num civitas inconcussa firmitate gaudebit? Sceleratus amor habendi et voluptatibus corporis fruendi, velut sitiendo et bibendo hydrops crescit, fraudes omnis generis prorrumpent, ordinem et salutem civilem multiplicata et nova crux suffodient, elanguescet robur et honor civitatis. Male historiam et experientiam testem appellant, cum vitiosos civitati plus prodesse, quam probos asserunt. Fuerit verum virtutem timidiorem, ne fines officiorum migret, non audere tentare, quæ vitiosa cupiditas audacter peragit, atque avaritiam aut vanitatem nonnullos excivisse ad molimina splendida et publice utilia, sed quam cito dispereunt fructus ejusmodi facinorum, laxatis vero frenis, quibus repagulis procax licentia contineri poterit? Vitiorum Apologetæ allegant quosdam vitiorum effectus, qui per accidens quibusdam non vitiosis profunt, at omittunt eos, qui corpus civile lente emaciant. Luxus immoderatus aucto humorum circuitu artes et laboriosos alit, at an non simul tamquam exemplum et occasio innumeris malis civitatem implet? Ambitio quorundam effrenis siquando civitati profuit, quot bellis eam saepe implicavit, quot sumtiosis institutis constitit? Virtus, vera virtus non virtutum larvæ, quibus vitia celantur, omnibus humanis societatibus et toti generi hominum, et quidem non transitoria, sed perdurable ratione prodest.

CAPUT TERTIUM

De comparanda et aestimanda virtute morali.

An virtus causarum a voluntate hominis alienarum effectus videri et doceri possit? Quid et quo ordine tractandum restet?

§. 149. Est virtus moralis propositum liberum non semel, vel subinde in vita suscep-tum, verum continuo renovatum et renascens, legem illam morum, plures leges morales vel immediatas vel mediatas stirpes complexam, tamquam vivendi normam a Deo sancitam cu-stodiendi; quare ea, cum sit propositum liberum pro mero naturæ et educationis opere ha-beri nequit, quamquam virtus objectiva in of-ficiorum internorum a principiis suis et com-muni fonte derivatorum systemate consistens egregrie doceri et disci possit. Dantur requisi-ta (conditiones) et media generalia et natura-lia, sine quibus illud morale consilium et pro-positum nasci et inconcussum esse nequit; po-nendis et adhibendis illis requisitis et mediis virtus comparatur ejusque robur et efficientia augetur. Quamquam autem virtus moralis, in quantum in homines in hac vita cadit, varios defectus adjunctos habeat et imperfecta sit, ta-men omni respectu summum bonum etiam in terrestri vita est, nulli alteri bono æquiparandum.

ARTICULUS PRIMUS.

De generalibus virtutis moralis conditionibus.

§. 150. Ad virtutem moralem cum primo habitus mentis requiratur rectum promte dignoscendi et dijudicandi, virtutem excitaturi imprimis hoc agant, ut illius habitus obstacula tollant et requisita ponant et promoveant.

I.

Conditiones virtutis moralis a parte mentis.

§. 151. Qui *primo* varia recti et pravi genera per veras et stabiles notas nexusque necessarios intellectu suo percepta non habet, sed tantum verba utriusque memoria tenet; qui *dein* in dignoscendo et dijudicando recto et pravo in casibus occurrentibus a suis non exercetur, nec deinceps se ipsum exercet, is nullo modo rectum et pravum dignoscendi et dijudicandi habitum sibi comparabit, qui est primum requisitum virtutis moralis.

§. 152. Quare in hoc imprimis strenue incumbant, qui virtutis in aliis ortum et incrementum promovere volunt, et tenentur magistri et scriptores, ut eorum mentes veris, perspicuis et stabilibus recti et pravi, ejusque variorum generum notionibus ordine et non praepostere imbuant, falsas vero et mancas emendent, atque ad ejus varios casus dijudicandos assuefacent; quod praestare nullo modo poterunt,

runt, si ipsi scientifica recti et pravi cognitione, hujusque promte in casibus singularibus dijudicandi habitu non polleant.

II.

Conditiones virtutis moralis a parte animi et voluntatis.

§. 153. Qui efficaciter non amat rectum oditque pravum horumque modos varios, quia prioris dignitatem et salubritatem, ac posterioris turpitudinem et perniciositatem per veras et stabiles notas tam vivide non cognoscit, aut hanc cognitionem tam familiarem, i. e. tam promptam et paratam non effecit, ut semper praefito sit, cum agendum est, atque per eam quæcunque motiva, quibus animus ad contrarium trahi possit, obscurentur et debilitentur, is non ubique id quod honestum aut turpe est, verum istud, quod sensibus blanditur aut adversum est, agitabit aut fugiet, adeoque habitum, id quod rectum esse videt, promte volendi et efficiendi, quæcunque sit pravi illecebrarum vis, non contrahet, qui est alterum virtutis moralis requiritum.

§. 154. Sed an recti et pravi repræsentamina et judicia unquam adeo fortia effici possunt, ut quibuscunque irritamentis contra id, quod certo rectum, et pro eo, quod certo pravum est, resistere valeant? Honoris externi, gloriæ, ignominiæ externæ, mortis imminentis cogitatio per vividatatem et certitudinem suam efficere potest, ut vehementissimos dolores et acerbissimas ærumnas homines perferant, cur

repræsentamina et judicia de honesto, quod est summum decus **et bonum**, et de turpi, quod veram ignominiam, abjectionem et malum hominis constituit, tantam vim consequi non possent, ut semper omnibus irritamentis sint superiora. Sed ut homines internum illud decus in morali voluntatis bonitate seu virtute positum supra omnia ament, ut illam internam ignominiam in vitiis voluntatis consistentem supra omnia oderint, ad hoc a teneris assuefieri, atque magistrorum aliorumque exemplis sustentari debent.

ARTICULUS SECUNDUS.

De generalibus virtutis moralis adminiculis et subsidiis.

Adminiculorum et subsidiorum virtutis notio et necessitas.

§, 155. Virtutis adminicula et subsidia eantum vere sunt, quorum vi proxime effici potest, ut in animo hominis consilium et propositum recte vivendi oriatur et sustentetur, ejusque efficientia cum ad se ipsum animandum, tum ad vincenda interna et externa impedimenta promoveatur. Cognitio adminiculorum virtutis necessaria est, ut eorum natura indies magis magisque perspiciatur et efficientia hoc modo promoveatur.

I.

Matura virtutis objectivæ cognitio.

§. 156. Si juvenibus modo supra designato sistema officiorum virtutis velut in speculo exhibeat, a quorum mente et animo bona educatione, maturæ disciplinæ et culturæ auxilio, omnia illa avertit, quæ ortum mentis et voluntatis moraliter bonæ impediunt, prævæ vero preparant, officii et virtutis complexæ velut corpusculum et majestatem intuentes invictam ejus dilectionem et reverentiam animo concipient, eique se totos et penitus consecrabunt. *Virtutem videant delectenturque secuti. Virtutem videant intabescantque relicta.*

§. 157. In eorum animis, qui hominum moraliter honorum veras et vividas descriptiones saepe vel audiunt vel legunt, *primo* nascitur virtutis idea, exoptant, ut tales suo loco sint, quales suo loco illos probos fuisse cognoscunt; *deinde* vero cum invicte consciæ sibi sunt, *se tales esse* non modo per incomprehensibilem voluntatis suæ libertatem *posse*, verum etiam per admirabilem suæ rationis legislationem *teneri*, oritur etiam propositum firmum ad officii et virtutis objectivæ normam sentiendi, volendi et agendi; cognitis vero internis et externis virtutis obstaculis accedit etiam decretum voluntatis sustinendo et obstinando illa obstacula fortiter superandi.

§. 158. Apud Romanos vocabulum libertatis, cum idea rei inæstimabilis et vita potioris in teneras juvenum mentes impressum, et viris illud continuo inculcatum: *Tu regere imper-*

perio populos Romane memento; hoc modo vero effectum est, ut omissæ libertatis et mortis, atque Romani et gentium domitoris, tamquam rerum individualiœ nexu cohærentium ideæ in mente dominabantur, cur apud nos bona educatione effici posse dubitemus, ut vocabulum virtutis et vitii, atque ideæ præstantiæ et beatitatis aut ignominiaæ et miseriae humanæ, eodem modo cohæreant et dominantur; atque cum ab illo more romano illa militum legionariorum fortitudo profecta est, ut non cadere in prælio sed capi et servire mors videretur, cur a meliori educatione hæc nobilior fortitudo proficisci non possit, ut non egenum et ærumnorum at probum, verum fortunatum at vitiosum pro misero habeamus,

II.

Religio. Contemplatio et imitatio divinæ sanctitatis.

§. 159. Religio posita est in viva fide legem morum rationi humanæ insitam, et hac lege definitum officiorum virtutis systema in Ethica propositum, esse legislatoriam omnipotentis et sanctissimi mundi creatoris voluntatem, conscientiam cujusque recta agendi consilia et genera approbantem, prava vero damnantem, esse formidabile forum omnipræsentis et justissimi mundi Rectoris, qui tamquam sapiens suæ legis executor in vita futura probis et bonis fata ultra captum nostrum prospera et expetibilia, improbis vero intolerabilia et extimescenda præparavit. Nihil *bac fide* in mente dominan-

nante cogitari potest potentius ad virtutis suum excitandum et quasi manu tenendum.

§. 160. Cogitatio Deum non nisi recta et vere bona velle, agere ac promovere, et non nisi prava et vere mala nolle, omittere, prohibere, impedire, atque propterea sanctissimum esse, efficit, ut mentem et voluntatem moraliter bonam non pro nomine inani, sed pro re et meta habeamus, ad quam mentis et voluntatis perfectabilitate prædicti continuo proprius accedamus, atque utriusque perfectione indefinenter crescamus. Nihil vivida, dominante et continuo crescente divinarum perfectionum cognitione potentius ad mentem et voluntatem legi morum, adeoque voluntati divinæ conformandam, et ad consilium propositumque ei subsequendi continuo augendum ejusque efficiemam amplificandam.

III.

Repetita fui exploratio. Exemplum vis.

§. 161. *Moralis sui ipsius exploratio diversa* ab illo salubri examine, quo singulis diebus ante somnum vel certis periodis acta per cogitamus, *posita est* in perpetua perscrutatione status sui moralis eo tendente, ut perspectum habeamus, quæ sit nostra actualis sentiendi, volendi et agendi ratio a lege morali magis vel minus abludens, quæ ei virtutes, quæ labes insint, quibusque hæ causis continentur. *Moralis sui speculator* attendit, num officiorum cogitatione et reverentia, vel potius uti-

utilitatis et honoris spe moveatur, num cele-
riores quam par est motus capiat, an lente
decernat in rebus celerrime conficiendis, an
subitis eventibus percussus in potestate sua
esse desinat, num languor in recto sequendo
a stimulis valde obluctantibus vel ab inver-
terata bene agendi inertia dependeat. Cum
meminimus vitae ante actae, ut cum ea statum
nostrum moralem praesentem conferamus, vi-
tam nostram *recognoscere* dicimur. Ope re-
cognitionis nostrae vitae adipiscimur cognitio-
nem nostri characteris moralis ejus perfectio-
num et vitiorum, ex qua cognitione partim
acquiescentia et fiducia, partim tristitia et re-
prehensio salutaris nascitur. Cum imperfectio-
nem conditionis nostrae moralis cum lege mo-
rum contendimus, excitatur in nobis *moralis
humilitas, sollicitudo, vigilancia, diligentia et
censura*, quorum maxima vis est ad mentem ei-
voluntatem moraliter bonam animandam.

§. 162. Ut legum et officiorum ethicorum
cognitione magis et satis vivida efficiatur et
impellens, ad eam exemplorum efficaciam
accedere oportebit, per quae praecepta altius
ac per se in animum descendunt, atque ita
eum in quavis agendi occasione vehementius
commovent. Nam exempla ostendunt, non
modo fieri posse, ut virtutem nobis compare-
mus, sed etiam certissimum reddunt animum
muniuntque contra omnem dubitationem, qua-
si virtus non habeat vim hanc, ut felices
homines neque vitium, ut eos infelices red-
dat. Hanc autem vim ut habeant exempla
variarum vivendi rationum, intelligendum im-

pri-

primis erit, quæ bonis bona et malis mala contingunt, ea omnia a virtute et vitio profecta esse, mala vero, quibus boni affliguntur, et bona, quibus improbi cumulantur, non rerum natura, sed aliorum malitia et favore niti, *deinde* fortunam tantum ad corpus et statum externum hominis, non vero ad animum et hujus tranquillitatem pertinere; Augustum novimus et Cromwellum omni honorum et divitiarum copia abundasse atque fortunatissimos fuisse, quis vero eos felices fuisse judicet, quos tot scelerum et vitiorum conscientia quiescere non sinebat, qui saepe timoribus et suspicionibus, saepe pœnitentia et pudore aliquique perturbationibus exagitabantur. Si nullam aliam utilitatem afferunt, exempla proborum et improborum, certe hanc habent, ut præcepta et stirpes virtutis familiares reddantur et major horror vitiorum animum teneat.

ARTICULUS TERTIUS.

De insufficientia virtutis naturalis ad perfectam tranquillitatem et securitatem animi.

I.

Status quæstionis figitur.

§. 163. Est hæc maximi momenti quæstio, an virtus naturalis, i. e. sola religione naturali suffulta eam hominibus immortali anima præditis tranquillitatem et securitatem animi impertiri possit, sine qua vera felicitas esse nequit? Omnis homo, antequam probus esse cœpit, a recto sæpe graviter aberravit, atque vero etiam posteaquam virtuti sacramentum dixit, sæpe ex fragilitate, imbecillitate et levitate animi a recto graviter aberrat. Hoc per cogitantis hominis conscientia necessario turbatur et anxietate corripitur, cui tempus solum mederi nequit. Quanam ratione turbatae et desperabundo angore percussæ conscientiæ inconcussam tranquillitatem et securitatem imperi possimus?

§. 164. De animorum humanorum immortalitate et de pœnis in vita futura irrogandis convicti necessario quærimus, an non pœnæ peccatorum naturales perpetuæ futuræ sint, et an Deus legum suarum exsecutor et vindic non etiam pœnas positivas seu arbitrias adjuncturus sit, qua igitur ratione peccata commissa expiari, Deus reconciliari et peccatis

tis futuris magis cautum esse possit, et si ratio et religio naturalis hunc modum monstrare nequeunt, quid tandem illam tranquillitatem et securitatem conscientiae nostrae impetrari possit, sine qua nemo beatus esse et dici possit?

II.

Religio naturalis non suppeditat motiva sufficientia turbatam propter commissa peccata conscientiam tranquillandi.

§. 165. Sola ratione et religione naturali insistentes cogitatione infinitæ Dei bonitatis proliferatam conscientiam erigere atque per pœnitentiam, emendationem animi et auctum deinceps virtutis studium ejus vulnera sanare, et perfectam ei tranquillitatem et securitatem reddere conabuntur; sed recogitantes, Deum non tantum infinite bonum, verum etiam iustissimum esse, præterea istis mediis facta infecta fieri non posse, peccatorumque commissorum consectaria naturalia non tolli, neque relapsui in peccata satis caveri, perfectam conscientiae tranquillitatem et securitatem his momentis sustentari posse negabunt.

§. 166. Sed cum fidem illam missam facere nequeamus, Deum entibus moralibus factis providere, adeoque eorum etiam Magistrum et Educatorem in hac vita esse debere; nascitur necessario fides, Deum ipsum supernaturali modo hominibus aperuisse, quid eos credere et agere oporteat, ut sine dispendio iustitiae, et sanctitatis divinæ pro peccatis comis-

missis satisfaciant, cum Deo in gratiam redeant, atque studium recti quam potest esse maxime confirmant, i. e. fides necessitatis et existentiae divinæ revelationis, cuius criteria suo loco evicta illa tantum doctrina gerit, quam Christo devoti debemus et confitemur; quare solum virtus religione christiana suffulta eam animo tranquillitatem et securitatem impetrari potest, sine qua vera animi immortalis felicitas esse nequit.

HISTORIA ET SCRIPTORES ETHICAE PHILOSOPHICAE.

§. 1.

Quamquam Philosophiæ universæ in Physicam, Ethicam et Logicam distributio per antiqua est, non tamen æque antiqua est Ethicæ seu Philosophiæ moralis tamquam doctrinæ morum universæ vera definitio, ejusque verarum partium accurata distinctio, sine qua Philosophia moralis ejusque nativæ partes tamquam peculiares scientiæ pertractari, adeoque existere non poterant; quare etiam earum qua peculiarium scientiarum historia peculiaris pro hoc tempore supponi et desiderari nequit, quamquam historia præceptorum et opinionum ad mores et moralitatem pertinentium confici posset, cum præceptiones et opiniones ad mores pertinentes antiquissimæ sint, quarum vero historiam hoc loco nemo desiderabit.

Jacobi Stellini, de ortu et progressu morum, atque opinionum ad mores pertinentium specimen. In ejus Dissertationibus. Patavii 1764. 8.

H

§. 2.

§. 2.

Ethica seu Philosophia moralis diu nihil fuit, nisi congeries variorum præceptorum vitæ, in qua vero præcepta ad moralitatem et felicitatem universe spectantia non distinguebantur ab ijs, quæ speciatim vel ad honestatem et virtutem, quarum scientia Ethicam philosophicam tamquam doctrinam virtutis constituit, vel ad securitatem externam et justitiam, cuius scientia jus naturale est vel ad prosperitatem vitæ, adeoque ad prudentiam pertinent; quare historia doctrinæ morum illo modo pertractatæ antiquior est, quam historia doctrinæ virtutis.

C. Meiners allgemeine kritische Geschichte der ältern und neuern Ethik oder Lebenswissenschaft. Erster Theil 1800. zweyter Theil 1801. Göttingen 8.

§. 3.

Posteaquam Doctrina morum, quam Philosophiam practicam seu moralem nunc appellamus, accuratius definiri atque in tres partes puras, nimirum in Philosophiam practicam primam seu universalem, in doctrinam Juris seu Jurisscientiam, et in doctrinam virtutis seu Ethicam strictam distribui cœpit; hac ratione effectum est, ut hæ jam seorsim pertractarentur, hocque modo tandem materia pro historia doctrinæ virtutis naturalis tamquam specialis philosophiæ moralis partis exorta sit. In schola primo Wolfsiana et adhuc accuratius in Kantiana Ethica rationis a Jure rationis seu naturæ discerni, atque remotis omnibus alienis materiis

riis pertractari cœpisse, atque hoc ipsi etiam Ethicæ Christianæ scientificæ profuisse, harum rerum peritis et intelligentibus fatis cognitum est.

*Scriptores Ethicæ philosophicæ ex schola
Wolfiana.*

1. Christ. Wolfii, *Philosophia moralis seu Ethica.* IV. Tom. Halæ 4. 1750. Dasselben: Vernünftige Gedanken von der Menschen Thun und Lassen. Halle 1720. 8. A. G. Baumgarten, *Ethica philosophica.* Halæ. 1740. 1750. 1763. G. F. Meier, *philosophische Sittenlehre.* 5 Theile, Halle 1753—1762.

2. Chr. Aug. Crusius, *Anweisung vernünftig zu leben.* Leipzig 1774. 1767. 8. Franc. Hutcheson, *Philosophiæ moralis institutio compendiaria.* Ejusdem: *Sittenlehre der Vernunft.* 2 Theile 1756. J. G. Daries, *Erste Gründe der philosophischen Sittenlehre.* Jena 1762. C. F. Gellert, *Moralische Vorlesungen.* 2 Theile. Leipzig 1770. Fordyce, *Anfangsgründe der moralischen Weltweisheit.* Aus dem Englischen, Zürich 1757. Franzößisch à la Haye 1756. 8.

3. J. B. Basedow, *praktische Philosophie,* Altona 1777. *Morale universale.* 3 Vol. 8. a Amst. 1776. A. Zippe, *Anleitung in die Sittenlehre,* Prag 1778. J. A. Eberhard, *Sittenlehre der Vernunft,* Berlin 1781. 8. C. Meiners, *Grundriss der Ethik oder Lebenswissenschaft,* Hannover 1801. 8.

*Scriptores Ethicæ philosophicæ ex scola
Kantiana.*

1. J. H. Abicht, System der Tugendlehre. Erlangen 1790. 8. C. Ch. E. Schmid, Versuch einer Moralphilosophie. Jena 1790. 1792. 1795. 8. Dasselben: Grundriss der Moralphilosophie. Jena 1793. 8. L. H. Jacob, Sittenlehre der Vernunft, Halle 1794.

2. Im. Kant, Metaphysische Anfangsgründe der Tugendlehre. Königsberg 1797. 8. Seines Kommentators J. H. Tieftrunk, Untersuchungen üer die Tugendlehre, 1798. 8. J. A. Bergk, Reflexionen über Kants Anfangsgründe der Tugendlehre, Gera und Leipzig 1798. F. H. C. Schwarz, die moralischen Wissenschaften, ein Lehrbuch der Moral, Rechtslehre und Religion, 2 Bände Leipzig 1797. 8.

3. D. J. W. Olshausen, Lehrbuch der Moral und Religion, Schleswig 1796. 8. K. L. Pörschke, Einleitung in die Moral, Liebau 1797. 8. J. A. Fichte das System der Sittenlehre, Jena und Leipzig 1798. C. F. Stäudlein, Grundriss der Tugendlehre. Göttingen 1798. 8. J. C. Hofbauer, Anfangsgründe der Moralphilosophie und insbesondere der Sittenlehre, Halle 1798. 8.

